









*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*









1616.

1. Cranius, Henricus Andreas: Juris controversi sive  
praecipuarum controversiarum, antinomiarumque  
sen difficultatum, ex jure civili, feudali, canonico,  
provinciali, Saxonico . . . selectarum Disputatio I.
2. Cranius, Henricus Andreas: Juris controversi sive praecipuarum controversiarum, antinomiarumque sen  
difficultatum, ex jure civili, feudali . . . selectarum  
Disputatio IV.
3. Cranius, Henricus Andreas: Juris controversi, sive  
praecipuarum controversiarum, antinomiarumque  
sen difficultatum, ex jure civili, feudali,  
. . . selectarum Disputatio III.
4. Cranius, Henricus Andreas: Juris controversi sive  
praecipuarum controversiarum, antinomiarumque  
sen difficultatum ex jure civili, feudali, canonico,  
. . . selectarum Disputatio secunda.
5. Stückerus, Thomas: De Tutela et cura.



6. Werdnigk, Johann Angelicus: Decas problematum  
politicorum.

1617.

1. Cludius, Joannes Thomas: De commodato et deposito

2. Cludius, Joannes Thomas: Disputatio inang, et diffi-  
cili, frequentissima judicissimay. judiciorum publicorum  
materia desumpta.

3. Cludius, Joannes Thomas: De mutuo.

4. Crauius, Henricus Ludovicus: Juris controversi, sive prae-  
cipuarum controversiarum, ... ex jure civili. ... Consti-  
tutionibus imperii et Ordinatione Camerae Imperialis ...  
selectarum Disputatio octava.

5. Crauius, Henricus Ludovicus: Juris controversi sive prae-  
cipuarum controversiarum ... ex jure civili ...  
Constitutionibus Imperii et Ordinatione Camerae Imperialis  
delectarum, Disputatio quinta.



6. Cranius, Henricus - Andreas: Juris controversis Disputatio  
VII publica, ex lib 17, 18, 19 Pandect. Desumpta.

7. Lotichius, Johannes: De jure emphyteutico

8. Lotichius, Johannes: De mutuo et monetae mutatione

9. Stuckius, Joannes: De legitima successione liberorum  
in bonis parentum

10. Stuckius, Joannes: Discursus politico-juridicus circa  
C. un. de feud., quae erat regalia.

11. Stuckius, Johannes: De fidejussionibus.

1618.

1. Truisaeus, Henricus: De partibus humani legitimum Terminis.

2. Truisaeus, Henricus: De partibus humani legitimum  
Terminis.

3. Stuckius, Johannes: Disputatio de juri-prudentiae natura et  
principiis Tertio: De justitia, eiusdemque variis acceptationibus  
speciebus, ut et analogia sive proportione in ea servanda, eiusdemque  
contraria injustitia.



4. Stuckius, Johannes: De jure et jurisprudentiae natura  
et principis, quae dumque tum in scholis recte tradit  
sae ratione, tum vero et generis in foro usu.
5. Stuckius, Johannes: De praeparentis eius Torum.
6. Stuckius, Johannes: Dissertationes de jurisprudentiae  
natura et principis secunda: De munere et officio  
jurisprudentiae et Teti et in quibus illa ab aliis differ.
7. Stuckius, Johannes: De emptione et venditione  
1619.
1. Budaeus, Casparus: De legatis.
2. Cludius, Joannes Thomas: De jure emphyteutico.
3. Lotichius, Johannes: De usufructu.
4. Wiselius, Johannes: De legitima successione.
5. Wiselius, Johannes: De successione et intestato.



DISPUTATIO IURIDICA 1618, 5

De

PRAEFERENTIIIS CREDITO-  
RVM,

22

Sive

ILLORVM ORDINE, QVO DEBITA SVA  
ex bonis obæatorum consequantur,

QVAM,

8 1/2

FAVENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,  
SVB PRAESIDIO

Clarissimi & Consultissimi Viri

DN. IOANNIS STVCKII,  
I. V. D. & in inclyta Iulia Pandectarum Profes-  
soris publici &c. Præceptoris sui plurimum  
honorandi,

Ad diem Iulij, loco & horis consuetis,

publicæ censuræ submittit

HENNINGVS Lüdcken Hildesheim.

HELMAESTADI

Ex officina typograph. heredum Iacobi LucI,

ANNO clō Io cXIIIX.







*Amplissimo & Consultissimo viro,*  
Dn. BERTHOLDO Ludeken/ ICto emi-  
nentissimo, Agnato ac Patrono suo deuotâ  
animi reuerentiâ suspiciendo;

VT ET VIRIS,  
*Virtute, Doctrinâ, Prudentiâ, & integritate spectatissimis:*  
Dn. IOACHIMO OPPERMAN Sen.,  
inclytæ Hildesheimensium Reipub. se-  
natori laudatissimo;

Dn. THEODORICO Sischern/ admodum  
Reuerendi & Nobilissimi Archipræfulis  
Hildesheim. præfecto quondam  
vigilantissimo;

Dn. CVNRADO von Wintheim/ Ciui  
Hannouerenfi primario:

*Adfinibus, & promotoribus suis summè cõtendis,  
ad obseruantie Significationem, suiq;  
commendationem,*

Exercitium hoc iuridicum

inscribit & offert

HENNINGVS Ludeken.







## THESIS I.



Hoc seculo, vbi plurimi vel ingenij malignitate vel Fortunæ asperitate, fidem fallunt, intricatis concurrentium Creditorum concertationibus, nihil ferè in foro est frequentius, quibus quiuis primas tenere, & se prærogatiuâ aliquâ vallare, nihil non mouet ac prætendit. Franc.

Baldu. *tr. de pign. c. 9.* Mich. Beuth. *de prelat. p. 1. c. 1. & p. 2. c. 46.*

2. Quare non abs re fieri putamus, si quæ ad dissoluendos intricatos hosce de præferentia Creditorum nodos faciunt breuibus exponamus, memores illius quod Ictus Paulus, in *l. 25. ff. de liber. legat.* & Vlpianus in *l. 1. de suspect. tut.* inculcant, quotidiana pleniùs & accuratiùs esse exanimanda. v. Iod. Damhoud. *de subha-stat. c. 1. n. 1. & 2.*

3. Est autem Præferentia Creditorum inter sese iusta quædam dispositio, quâ alter alteri per legis vel sui ipsius prouisionem in communis debitoris bonis venit præferendus.

4. Plinius ad Traianum vocat *πρωτοεξία*. quod vocabulum & ad scholas nostras peruenit. Præterea tamen hæc materia inscribitur, DE PRIVILEGIIS CREDITORVM, item de Creditorum concursu. Quamuis hoc posterius minus propriè, illud verò minus strictè fiat.

5. Agitur de eadem in libris Iuris nostri passim. Potissimum verò in *tit. ff. & C. qui potior. in pig. tit. ff. de Reb. auctorit. Indic. possid. à l. 16. vsq. ad fin.* Vnde factum credimus, vt memoria facilius eum, quasi communem priuilegiorum locum teneret, quod in editione vulgari capitum illorum sit constituta certa inscriptio, siue rubrica, *de priuilegijs Creditorum*, quæ Florentiæ non est. V. Ant. August. *libr. 3. emendat. 1.* Vanderan. *de priuileg. creditor. rubr. de inscript. & argum. libell. in med.*

6. Est quoq; de ea materia, in *Novell. Justin. 18. c. 10. Nouell. 73. c.*

*Materia  
frequentiq.*

*Utilitas.*

*Definitio*

*Synonyma*

*Sedes.  
in ff. etc.*

*in Nou.*



1. & 2. Nouell. 91. c. 1. & Nouell. 97. c. 3. Tum in libr. βασιλικῶν 9. tit. de debito fiscali, & dotali, & prinato, deq; horum prelat. 5. & lib. 25. tit. 5. Item in Synopsi Attaliatæ, tit. 22. qui est de Act. qua pignor. dat. ad fin.

In Iuri Saxo  
nisi.

7. Neque Saxo eiusdem materiæ non habuit rationem, ut in Landrecht / lib. 1. art. 8. 15. 22. 34. lib. 2. art. 24. Constit. Elect. 28. par. 1. Constit. 23. part. 2. §. Wenn auch ein Gläubiger etc. In respons. Lipsens. post. Weichbildt / sub rubric. Gemeine tägliche Urtheil tit. von verpfändung &c. & passim. sicuti illa loca infra sunt notata.

Ordo h. Disp.

8. Nobis huius materiæ tractandæ nulla commodior ratio videtur, quàm cum sint res aliquæ, quæ à cedentis bonis in concursu creditorum desumuntur, & debitoris manent, ut primum de illis videamus, deinde, quod caput rei est, de ordine quo creditoribus bona debitoris ex Iuris præscripto sunt adiudicanda, & tertio de processu, qui circa discussionem ordinis illius obseruari solet.

Res à bonis  
cedentis sepa-  
rata.

9. Res à bonis cedentis separantur, & debitori relinquuntur, quæ privilegio aliquo contra distractionem Creditorum ex naturali & civili æquitate munitæ sunt. Quarum duplex consideratio est, prout videl. separandæ sunt, vel simpliciter, vel certo solum respectu.

Simpli

10. Simpliciter separandæ sunt, quæ nunquam ad debitores transeunt, sed semper creditoris manent. Quod fit vel misericordiæ causâ in debitorem, vel ob conditionem ipsius rei, quæ distrahi petitur.

ut  
Alimenta.

11. Misericordiæ causâ illi relinquuntur alimenta, & omnis necessaria suppellex, omniaque quæ ad usum quotidianum necessaria habentur.

12. Quò pertinent & vestes, vestimenta viduarum, lecti, eorumq; accessoria. Iung. l. Obligatione generali, 6. cum l. seq. de pignorib. Denter. 24. vers. 17. Bald. in l. fin. C. qui bon. Ced.

13. Neque eius traditionis ratio obscura esse potest. Quippe inhumanum est, aliquem ob causam civilem victu fraudare, l. qui bonis, 6. ff. de cession. bonorum. Vnde cogeretur turpiter egere. gl. ibid. Quod ne fieret, & antiqua legis XII. tabul. sanctio debitori in vincula coniecto alimenta decreuit verbis: SI VOLET SVO VI-

V I T O



WITO, AUT QUI EVM VINCTVM HABEBIS ER-  
BRAS FARRIS INDIES DATO: SI VOLET PLVS DA-  
TO. quod explicamus, vt dicamus, illum non parcius quàm na-  
turæ necessitas postulat, nec splendidius quàm fraudatoribus da-  
mnatis conuenit, alendum esse. Gell. libr. 22. c. 1.

14. Atq; hinc constat, quâ ratione & hodierno tempore No-  
bilibus, Comitibus & alijs Illustribus personis reseruari soleat,  
vnde se & familiam suam exhibere possint.

15. Sed is cuius bona distrahuntur, talis est, vt proprio opifi-  
cio se & suos sustinere possit. Vtrum & illi beneficium hoc con-  
cedendum?

16. Ita haud pridem inter debitorem Nobilem Aduocaturam  
satis felicem exercentem, & inter alium virum satis doctum, eius  
creditorem, disputatum memini. At cum virtus & eruditio ne-  
mini damno sit, inciuile visum est contra Nobilem pronun-  
tiare.

17. Suâ naturâ & cognitione in distractionem non veniunt,  
STATVAE, & EPITAPHIA, in honorem defuncti publico  
loco exstructa. l. Fusidius. 29. ff. de reb. auct. Ind. possid. Anumerantur  
enim rebus Vniuersitatis, d. l. 29. & religiosis. l. in tantum 6. §. Ce-  
notaphium, 5. ff. de rer. diuis.

Sua nãã  
separata

18. Fac. l. 3. C. qua res pignor. oblig. & l. statuas 41. ff. de Acquir.  
rer. domin. vbi perelegantia habentur verba; TVENDOS ESSE  
CIVES ADVERSUS PETENTEM EXCEPTIONE, ET  
ACTIONE ADVERSUS POSSIDENTEM IVVANDOS  
ESSE.

19. Sunt insuper eiusdem conditionis bona feudalia: item  
bona prohibita alienari extra familiam, & omnia alia quorum  
alienatio & oppignoratio, quæ species alienationis est, regulari-  
ter est prohibita. l. ult. C. de reb. alien. non alien. Franc. Curt. tr. Feud.  
p. 4. n. 95. Secus tamen est, in fructibus, qui Vasalli facti, vel de-  
bentur illi, nec feudo amplius adherent. Curt. ibid.

Bona feudal.

20. Rectè igitur refertur inter Chyrographarios, qui talem hy-  
pothecam allegat, vt & factum memini nuper in Collegio Iuridi-  
co hîc, in allegante hypothecam in agris debitoris, quos ille pre-  
cario & ad vitam tantum tenuerat.

A. B.

A 3

21. Quidl



21. Quod si Dominus Feudi in oppignorationem Feudi consen-  
serit: Extra dubium est, quod bona feudalia in tantum obligen-  
tur, ut & ipse ex consensu illo teneatur. Quippe consentiens a-  
licui actui, omnia iura sua, quæ ad istum actum impugnandum  
habuit, perdit. *l. si debitor. 4. §. 1. ff. Quib. mod. pign. l. cum quedam*  
*26, C. de administ. tutor. c. pastoralis, & ibi, Abb. de donat.* Sicut &  
regulariter quilibet, qui consentit actui ab alio celebrato, per-  
inde habetur, ac si ipse illum celebrasset, *l. filium, 14. ff. ad SC. Ma-*  
*cedon. l. cum quis 65. vbi gloss. Decian. & Cagnol. de Reg. Jur. l. 2. & i-*  
*bi Bald. Salicet. & Francisc. Aretin. C. si aduers. donat. Tiraq. tr. de*  
*ll. connubialib. gl. 5. n. 143. cum seqq.*

22. Cui hoc consequens est, quod dominus quidem ad oneris  
illius luitionem, in quod ita consensit, omninò obstrictus sit, a-  
deò ut illud quoque obtineat, etiamsi consenserit cum clausula,  
SALVO IVRE NOSTRO: Vid. Schrad. *part. 8. tit. 4. n. 34.* In  
concurso verò si creditor mortuus, & ita feudum Domino aper-  
tum fuerit, creditor ad Dominum remittendus est. De cuius  
remissionis formula, Vid. *l. ad fin.*

23. Quod si vasallus viuat, nec ob consensum illum bona feu-  
dalia distractioni subsunt, nisi in subsidium alijs bonis deficienti-  
bus, post Alex. & Dd: *in l. si finita §. si vectigalibus, de damn. infecto. Za-*  
*sius in l. commodis, 40. n. 3. de Re Indicat.*

24. Quod quoque obtinere adserimus, si fortè ex statuto &  
consuetudine alicuius prouinciæ, permissum sit bona illa aliena-  
re, ut de consuetudine Marchiæ, post Pruckm. trad. Scheplitz.  
*part. 4. tit. 8. §. 5. n. 3. ad fin. & de feudis Megapolensibus ex Cothman.*  
*idem ibid.*

25. Atq; ita iam etiam constat de bonis aliquibus certo respe-  
ctu separandis à cæteris, quæ indistinctè in distractionem veni-  
unt.

26. Et sunt præterea eiusmodi bona illa omnia, quæ, cum cre-  
ditor aliunde suum consequi potest, vel generaliter oppignorata  
sunt, non possunt distrahi nisi in subsidium, vel nisi specialiter pi-  
gnori data fuerint, quæque in vsum quotidianum vtiliter haben-  
tur, & animum vtriusq; partis ex rei affectione minus informant.  
Qualia quænam sint, præstat relinquere arbitrio Iudicis. Gothofr.  
*in d. l. 6. verb. verisimile est. Beuth. p. 1. pral. c. 2.* 27. Ad-



27. Adnumerantur illis concubina, vel potius ancilla quæ concubina esse potuit, Cuiac. 5. obs. 6. Liberi naturales ex illa prognati, alumni qui suo nutritori opponuntur: l. 1. C. quæ res pig. oblig. & si quæ sunt ministeria alia, de quibus, in l. deniq. 8. ff. d. tit.

28. Diximus QVÆ IN VSVM QVOTIDIANVM UTILITER HABENTVR. Necessaria enim planè non debentur, & quoque separanda sunt, si specialiter in obligationem fuerint deducta, per ea quæ dicta in *præcedd.*

29. Sic quoque non nisi in subsidium iure distrahantur commoda præmiorum ex certaminibus sacris percipiendorum, & ipsamet pecunia sacra, d. l. commodis, 40. de re iudicat. stipendia armorum militum. l. stipendia, 4. de execut. rei iudic.

30. Et si præmia & commoda illa sacrorum certaminum, V. G. hodie, das Ringelrinnen/ Speerbrechen/ vnd sonst andere Ritterspiel etc. de facili auferrentur athleticis certaturis: futurum esset, vt e-  
languesceret & eneruaretur ipsorum virtus: quum ali & conseruari nutrimentis honorum interest Reipub. Cunrad. Rittersh. ad Nouell. constit. part. 3. c. 8. n. 5.

31. Quamuis autem illa possint in causam Indicati iure pignoris capi, d. l. 40. conuentione tamen priuatorum minimè obligari possunt. l. spem eorum l. 5. C. quæ res pignor. oblig. poss.

32. De militijs Romanis quæritur? At in quibus probamus regulam communiter receptam, quod quæ vendi possunt, etiam utiliter pignorentur. l. vlt. C. de pignor. l. 3. §. 7. de Munerib.

33. Atque ita rectè est oppignorata militia domesticorum, argument, l. restituenda 6. C. de Aduoc. diuers. Iudicum, silentiariorum, l. omnimodo, 30. §. imputari verò, 2. C. de inoffic. testam. & l. vlt. C. de silentiar. adiutorum quæstoris. Nouell. 53.

34. Militias autem Romani dixerunt, pro officijs eorum, qui in aliqua schola, inter statutos relati erant, vnde solaria & commoda quædam ex munificentia Imperiali consequabantur. Vid. Cuiac. in comment. ad l. 3. §. si quod minori ff. de minorib. & ad l. vl. C. de proxim. sacror. scrinior. Vnde & feuda fluxisse nonnulli existimant, & inter illos Gregorius Holander, in præfat. ad Nouell. prope fin.

35. Utilitas eius hypothecæ est, quod qui militiam habet, fert  
com-



commoda & annonas ex fisco. Iung. Cuiac. ad d. Nouell. 53. versie.

Quarta pars &c. & Ritterhus. d. l.

36. Sunt, qui à stipendijs, de quibus in præcedentibus, inferunt ad annonas Clericorum, (ita Præbendas & fructus beneficiorum vocamus) quibus etiam adsentit Cuiac. d. loc. Cæterum receptum est allegatam l. stipendia, solum de stipendijs militum militiæ armatæ intelligendam esse, atque ita & inter Græcos Theodorus illam legem intelligit.

37. Ratio quoq; quâ ita de annonis militum constitutum, videlicet ne milites ablati stipendijs militiam deserant, neue ita publica utilitas communisq; salus vnus creditoris causâ periclitetur, cessat in præbendis beneficiorum.

38. Accedit ipsa obseruantia, quâ quotidie & reditus illi die hebung der Præbenden / adiudicantur ijs, quibus oppignorati sunt. Atque ita memini nuper in collegio Iuridico hîc in causa creditorum In Sachen E. E. & F. F. vtriusque Canonici ad D. Mariam HalberstadI pronunciatum esse.

Exempla  
ob agriculturam.

39. Sic quoad fisci debita tributaq; exinde diminuerentur, libera sunt ab executione, quæcunq; ad agriculturum pertinent, vt sunt, serui & boues aratores, instrumenta aratoria, vomeres, aratra, &c. quæ ipsa quoque si expressâ conuentione pignori non fuerint obstricta, pignorum gratiâ regulariter auferri non conuenit. arg. l. pignor. 8. C. qua res pignor. & Eclog. lib. 26. ad fin. vnde lex illa ad verbum desumpta est, ibidemq; Dd. Sed qui minus rectè adserunt, illic & in præced. l. 7. vt & in Nouell. 32. & 33. ita expressis verbis definitum esse. Quippe multum differt, vtrum pignus ex conuentione adiudicetur, de quo nos quærimus, & vtrum illud à iudice ad exigenda debita dato in modum executionis capiatur. In quibus terminis à prioribus planè distinctis textus illi loquuntur. Quamuis negari non possit ex idenditate rationis rectè ad decisionem præsentis nostræ quæstionis inferri.

40. Atq; in tantum illa obtinent, vt si Creditor, Præfectus Pagi, vel Decurio contra aliquid fecerint, idq; detectum fuerit, grauius à Præsede puniantur, Eclog. d. loc. supplicio subiugentur, l. 7. C. eod. vel in quadruplum ablata restituant, & infamiam ipso iure incurrant, & nihilominus Imperiali animaduersione puniantur. Auth. Agricultores C. d. tit. vbi Dd: 41. Ra.



41. Ratio iuris ita constituti est, sicuti iam dictum, ne tributo-  
rum illatio retardetur, tum ne coloni petant fugæ latebras, fame-  
ue pereant. d.l.7. Quæ sicuti hodiè minus salutariter negliguntur,  
ita etiam minus prosperè, & non sine incommodo Reip. iura illa  
hodiè apud nonnullos non obseruantur. Vid. Beuth. p. 1. pr. c. 77.  
& Gotthofred. in not. ad d.l.7. lit. V. Vbi addit loca & præiudicia, in  
quibus ita obseruatum fuerit vel non.

42. Nos in tantum illam antiquitatem iuris prisca probamus, vt  
omnino existimemus, eorum opinionem benigniorem esse, qui ex  
simili ratione inferunt, ad quarumuis artium necessaria instru-  
menta, et generali obligationi eximentes.

43. Succedunt ARMA MILITVM. Saluti enim publicæ  
aduersatur, vt illa alienentur. Vnde olim miles, qui arma alie-  
narat, desertionis vel capitis pœnâ punitus est. l. 14. §. 1. l. 2.  
§. 13. ff. de re militar.

44. Eiusdem generis sunt libri DOCTORVM & STU-  
DIOSORVM. Siquidem sunt arma, quibus togato tempore salu-  
tem Reipub. tuemur, cuius interest, ne eiusmodi perniciosâ libro-  
rum priuatione detrimentum capiat. Herm. Meier. de Pig. libr. l. 1.  
tit. 9. n. 24.

45. Idem in pecunia Studiosorum ad victum necessaria obser-  
uauit. zas. in l. 25. de V. S.

46. Idem quoque de stipendijs Militum, & Doctorum salarijs  
statuimus, quod videlicet & illa non nisi in subsidium, iudicati cau-  
sâ capi possint. l. 4. C. de Execut. ne fortè vnius priuari credito-  
ris utilitas præuertat Publicam, vel etiam interuertat. Goth. ad  
d.l. 4.

47. Quærebatur modò de ornamentis, & insignibus generis,  
nominis, officij, dignitatis & honoris: Sanè cum illa partim to-  
tius alicuius generis sint, partim quoq; ultra personam, cui con-  
cessa sunt, non transeant, frustra in distractionem trahuntur.

48. Quod si autem honoris insignia, ornamentaue ad heredes  
transeant, eaque fuerint deducta in obligationem, & illa credito-  
ribus ex bonis defuncti debitoris assignanda sunt.

49. Idem statuimus de omnibus, quæ ornatus causâ habentur,  
vt sunt armillæ, in aures, gemmæ, margaritæ, annuli, vitæ, mitræ,  
B  
l. argu-

Arma  
litum

Libri Do-  
ct. & Studio-  
sor.

pecunia

Stipendia  
militum  
Doct. salarij

Ornamenta



*l. argumento, §. ornamenta cum §. seq. de Aur. arg. Mund. &c. Ut & adferimus de illis quæ ad mundum pertinent, quæq; corporis venustati inseruiunt. In tantum, ut dicamus illa quoq; etiam si debitor vel debitor adhuc in viuis sit, distractioni esse obnoxia.*

50. Sic & maritus in foro Saxonico, non minus ac heredes, suæ coniugis æs alienum soluere tenetur de mobilibus, quæ ex iuris illius constitutione aliàs lucratur.

51. Atqui de ijs, quæ ad Geradam, Morgengabe/ Vtensilia, vulgò *Muscheil* / & res expeditorias, nobis *Hergewette* / pertinent, nisi in subsidium, nisiue illa in fraudem creditorum comparata fuerint, æs alienum soluendum non est. Vid. Moller. *lib. 2. semestr. cap. 44.*

Ordo Creditorum.

52. Reliqua regulariter in distractionem veniunt. Ut ideoque transeamus ad huius nostræ dissertationis caput secundum.

53. Vbi notandum, ordinem nos dicere pro in suum cuiusque creditoris locum collocatione, quæ propria eius verbi significatio est.

Creditor  
q's huius dicitur!

54. Et creditoris vocabulum paullulum latius sumimus, intelligentes illo non solum qui fidem alienam in conventionibus sequuntur, de qua acceptio est in *l. 1. vbi Dd. & Ias. num. 42. Si cert. pet. in l. creditores. 10 cum l. seq. de Verb. Sig. Nouell. 4. in fin. ap. Harmenopol. libr. 3. tit. 5.* Sed omnes, quibus ex quacunq; causa aliquid debetur; *l. ut si cui 12. de Verb. Signif.*

55. Adeoque & is, cui ex delicto, legato, fideicommissio, aliquid debetur, item qui vindicationem habet, in hac materia creditor nobis est. *d. l. 12. vbi Alciat. l. 1. C. de bon. auctor. Indic. possid. l. pecunia, 178. §. fin. de V. S. l. si verbi, 24. §. 2. de Reb. auctor. Indic. possid. l. siis cui 42. de Oblig. & Act. Gl. notab. in l. 1. verb. necessitate, Ut legat. nom. cau. Ias. in Sitem si quis, n. 57. Instit. de act. Bertach. in repert. verb. creditor dicitur ex act. pers.* Quamuis ea verbi CREDITORIS acceptio satis impropria, & vsu potius recepta sit, quam quod rei ipsi conueniat.

56. Cui consequens est ad concursum & illos venire, quibus propriè, intellige ex fide & contractu, cum illo inito, cuius bona principaliter distrahi petuntur, nihil debetur quamuis respectu, veri vsus.



Ufus vocabuli *creditoris* verè dicantur sua persequi extra concursum, vel iure Separationis, vel Iure Dominij de quibus in *seqq.*

57. Sanè quibus solùm naturà debetur, non sunt loco creditorum, & peti enim ita debitum non potest, quamuis solutum nec repeti possit. *l. naturaliter 13. de condict. indeb. l. fideiussor. 16. §. fideiussor. 3. de fideiussor. l. siis cui 94. §. Fauius Ianuarius &c. de solutionibus.*

58. Et frustra ideoq; ante rescriptum D. Pij, de quo habetur in *l. Ait. Prator. 3. §. 4. de Negot. gest.* actum est contra Pupillum obligatum ex eo quod conditionem suam fecerit meliorem.

59. Iure verò nuperè in collegio Iuridico hic nulla habita est ratio illius, quia ad *αντιδωρα* siue remunerationem agebat.

60. Creditores etiam accipimus, qui, quorumue petita, exceptionibus siue remedijs alijs submoueri, elidive nò possunt. Quare Vlp. in *l. is cui 42. §. 1. de Oblig. & Act. Creditores, ait eos, accipere debemus, qui aliquam actionem vel civilem habent, (sic tamen ne exceptione submoucantur,) vel honorariam actionem, vel in factum.*

61. Sed & non omnes Creditores eiusdem generis sunt, verum vt idem Vlpianus, in *d. l. 10. de V. S.* habet, quibusdam debetur purè, quibusdam in diem, & quibusdam sub conditione.

62. Quibus purè debetur, dies & celsit & venit; Quibus in diem, celsit quidem dies, sed nondum venit; Quibus sub conditione, neque celsit, neque venit dies. Et creditores ideoque solùm dicuntur propter spem, quàm habent, vt aliquando competat actio. *l. conditionale, 54. l. cedere, 213. d. tit.*

63. Sed cuius distinctionis, quoad præsentem materiam, nulla utilitas est. Vid. *l. creditores, 4. de separat.*

64. Alià ratione nonnulli dicuntur Priuilegiati, aliqui Hypothecarij, quidam Chyrographarij. Priuilegiati videlicet à priuilegio Iuris, quo præ alijs donati sunt, & Hypothecarij atque Chyrographarij ex assecuratione, quam habent. de quibus in sequentibus.

65. Omnium autem primò habenda est ratio illorum, qui quod ipsorum est vel iure Separationis, vel Iure Dominij petunt & consequuntur. Qui ideoque quoad creditores heredis dicuntur suum extra concursum consequi.



Separatio

eg varia  
genera.

66. Separationis ius dico, quod & deductionis vocat Vlpianus in *l. procuratoris s. s. sed & quaesitum, 7. de tributor. Act.* Estque Separatio nihil aliud, quam bonorum & creditorum aliorum ab alijs seorsim habita ratio. Cuiac. in *Paratit. ff. & C. de separat.* in quibus titulis illa materia tractatur.

67. Atque concepti sunt illi tituli plurali numero. Neq; enim de vno genere separationis ibid agitur. Sed est alia, quae competit creditori defuncti aduersus creditores heredis; *l. 1. s. 1. & fere per tot. ff. eo tit.* alia quae competit ipsi heredi necessario, vt si non attigerit bona defuncti, in ea causa sit, vt ei, quicquid postea acquisierit, & si quid ei a testatore debeatur, separetur; *d. l. 1. s. fin.* Alia item conceditur patrono, heredi, libertae, quae (exempli gratia) Titio heres extitit, vel eius bonorum possessionem retinuit, ne creditores Titij etiam alia libertae bona distrabant; *l. quotiens 6. s. 1. ff. eod.* Item alia qua creditores Castrenses separantur a paganis, *d. l. 1. s. si filijfam. bona, 9. itidem eod.* Et alia qua filij peculium separatur, si patris bona publicentur, *l. deniq. 3. s. sed utrum 4. ad fin. de Minorib.* quaeque fit, vt bonis filij confiscatis, nequedos, neq; peculij aduentitij, nec proprietatis, nec vsusfructus patri auferatur exceptis casibus. *l. 3. de bon. damnat. Bartol. in l. 15. & 16. n. 12. 13. & 14. de Damno infecto.*

68. Ceterum quae non vacat hic fusius explicare. Quod autem dictum, Creditorum hereditariorum seorsim ab alijs, rationem habendam esse, extendendum quoque est ad eum qui ex parte heres est contra suum coheredem. *l. 7. C. de bon. auctor. Indic. possid. l. 6. C. de heredit. Act.*

69. Imo, & si quis heres parenti extiterit, cum esset impubes, deinde intra pubertatem decesserit, & substituti bona veneant, qui impuberis hereditatem adiit, & patris creditores, aduersus creditores impuberis, & impuberis creditores aduersus heredis creditores separationem impetrare possunt. *d. l. 1. s. 7. ff. de separat.*

70. Sic etiam si Primus heredem Secundum, Secundus Tertium scripserit: Primi Creditores contra Secundi & Tertij; Secundi autem contra Tertij, solum separationem obtinebunt. *l. 1. s. 2. ff. eod.*

71. Cuius iuris ita constituti summa aequitas est, quae Creditorum



rum priorum causam reddit fauorabilem. Cùm sicuti defunctus non succedit heredi suo; ita etiam nec eius iura vel onera in se suosque creditores deriuare possit; & uti defunctus semper prior est herede suo; ita quoque huius creditores semper posteriores sunt creditoribus illius. Atque ita locus sit. *l. potior. 11. ff. & l. 2. & 4. C. Qui potior in pignor.* Quibus accedit illud vulgatum: Die Schulde seinds der negste Erbe.

72. Vnde & hoc est, quod liberum sit creditoribus defuncti, ubi heredem inopia suspectum commendat, ab eo cognitâ per Prætorem causâ, ne debita vel in totum vel pro parte periclitentur, satisfactionem exigere, quâq; non impetrata, securitati creditoris Prætoria immisione prospicietur. *l. si creditores, 31. de Reb. Auct. Indic. passid.*

73. Petenda est autem separatio intra quinquennium post aditionem heredis numerandum. *d. l. 1. §. Quod dicitur, 13. de separat.* Nec potest eadem impetrari, si creditores defuncti nomen heredis fuerint secuti; *d. l. 1. §. 10.* si vel pignus, vel fideiussores, vel usuras ab illo acceperint; *ead. §. 10. & seq. §. 11. & 15.* siue ab herede nouandi animo stipulati fuerint; *d. §. 10.* Vel si etiam bona hereditaria defuncti bonis heredis ita mixta fuerint, ut vix ab inuicem segregari queant; *ead. l. 1. §. 12. ut & si fortè ante separationis petitionem, hereditas bona fide fuerit vendita. l. 2. d. tit.*

74. Sanè qui iudicium dictauerunt heredi, separationem quasi hereditarij possunt impetrare. *l. fin. eod. tit.* Neque etiam confusio obligationum separationem impedit. Quod eleganter declarat Papinianus noster, in *l. debitor, 3. de separat.* exemplo debitoris, qui fideiussori heres extitit.

75. Quod si creditores hereditarij separationem bonorum impetrauerint, & inueniatur non idonea hereditas, heres autem idoneus: non poterunt reuerti ad heredem. *l. creditores 5. d. t.*

76. Quid si creditores hereditarij solidum ex defuncti hereditate seruare non possint, & proprijs heredis creditoribus dimissis aliquid in bonis eius superfit? De hac quæstione extant contraria responsa Papiniani, qui quod superest hereditarijs tribuit in *in d. l. 3. §. fin.* Et Pauli in *d. l. 5. §. at si ex alia causa, & r. & Ulpian. in d. l. 1. §. penult. eod. tit.* qui contrarium tenent.

B 3

77. Quæq;



*Antinomia  
conciliatio*

77. Quæq; responsa in tantum contraia videntur, vt pleriq; existiment nullam rationem componendæ disunctionis subesse. Cæterum cõstat ex collatione *l. lecta de Reb. cred. l. qui heredi §. si duorum de condit. & demonstrat. l. 8. Vsusfr. quemadmodum cau. & l. 6. de seru. export. æmulationem quandam inter Paulum & Papinianum fuisse. Vt mirum non sit, illos & in nostris responsis non in vnam sententiam respondisse. Praualuit verò & communiter recepta est opinio Pauli, vti constat ex *d. l. 1. §. penult. de separat.**

78. Notandum quoque, quod ait Papinianus, sententiam suam probari commodius esse, verius, vtiliusq;. Vt proindè cæteri certent iure meritoq;: Papinianus verò æquitate.

79. Hoc certum & planè extra dubium est, si creditoribus hereditarijs solidum ex hereditate seruari non possit, quod illi ita demum aliquid ex bonis heredis ferant, si proprij creditores heredis fuerint dimissi. *d. l. 3. §. ult. de separat. & d. l. 5. pr. ad fin.*

80. Sed, etsi post impetratam separationem heres aliquid ex hereditate adquisierit, ad illud admitti debebunt, qui separationem petierunt. *d. l. 5. pr.*

81. Quod si creditoribus hereditarijs solidum acquisitum fuerit, & illi iure separationis veniunt, quibus aliquid legatum fuerit ab auctore heredis. *l. quotiens; 6. pr. d. t. §. ult. Instit. de lege Falcid. l. primo gradu, 23. Quæ in fraud. creditorum* & illud enim quasi æs alienum exigitur. Secus autem est in legato ab ipso herede relicto, quod primum post debiti detractionem inducitur. *l. 1. C. de Bon. Auct. Iudic. possid.*

82. Quæ tamen inductio cessat, in libertate legata, quæ etiam æs alienum præcedit, modò non in fraudem Creditorum fuerit data. *d. l. 23. ff. quæ in fraud. Cred.*

83. Atque vt eo promptior esset legatorum exactio, ratione supremæ voluntatis, quæ maximè fauorabilis, *l. 1. C. de SS. Eccles.* inductum est pro legatarijs ius hypothecæ in bonis hereditarijs contra heredem, eiusq; creditores. *l. 1. 2. C. communia de Leg. §. 2. vers. nostra, Instit. de legat. l. 4. §. 1. ff. de separat..* Quare intentata Seruianâ ocysimè erunt soluenda, præsertim si ad causas pias donata fuerint. *Coll. Argent. tit. 2. l. 20. par. th. 6. Donell. tr. de pig. c. 5. Obrecht. disp. 15. th. 128.*

84. Non



84. Non obtinet tamen hoc ius tacitæ hypothecæ in bonis heredis proprijs & peculiaribus, d. l. 1. C. & Ang. de Aretini Instit. de legat. §. 1. Colum. 3. vbi dicit, quod ipse in teneris annis Doctor adhuc Nonellus contrarium praticari volens succubuerit.

85. Consulitur verò & quoad illa bona legatarijs immisione in bona heredis, mense 6. à die aditæ hereditatis impetranda, quâ immissi Pignus Prætorium consequuntur. l. 6. C. ut in poss. leg. Neguz. M. 4. 2. par. n. 159.

86. Præterea, si quis in testamenti insinuationem, vel inuentarij confectionem, sumptus fecerit, non solum Creditoribus heredis, sed & ipsis legatarijs erit anteponendus. l. fin. C. de iur. delib. l. 8. ff. depositi: vbi respondit Papinianus, Sumptus causam semper præcedere, quo deducto, bonorum calculus subducatur, quod nusquam verius, atq; hic vsurpatur. Beuth. p. 1. Pral. c. 25. & 72. Etenim sumptus hi maximam necessitatem in se continent, vt planè intermitteri non possint. l. 4. ff. de Impens. in res dot. Gædd. in l. 79. ff. de Verb. Obligat.

87. Sic & heres putatiuus, contra quem, cum bona fide hereditatem possederat, postmodum pronunciat, in restitutione hereditatis rectè separat & detrahit, quod ex illo creditoribus hereditarijs bonâ fide soluisse probauerit. l. 5. Cod. de petit. heredit.

88. Quod non procedit in illo, qui nomine hereditatis soluit. Neq; enim tunc à creditoribus, qui suum iam acceperunt, quod soluit, repetere potest. d. l. 5. liberatur autem illo facto, is, ad quem hereditas reuera spectat. l. 8. 36. 44. de condict. indeb. seq; contra creditores exceptione doli tueri potest. l. 31. ff. de Petit. heredit.

89. At si suo proprio nomine soluerit putans, se esse heredem, competit illi soluti repetitio, nec liberatur heres verus. l. 19. ff. de condict. indeb. d. l. 31. ff. de Pet. herer. Neque igitur eo casu à vero herede aliquid iure repetit, nisi ei euincenti hereditatem conditionem indebiti, quâ ipse suo errori mederi poterat, cesserit. Gl. in d. l. 31. Beuth. p. 1. Pral. c. 28.

90. Recipit quoq; in se ius deductionis, impensas funebres, & omnes quæ pro recuperanda sanitate factæ sunt. l. 4. C. de petit. hered. sed de quibus infra in loco commodiori.

91. Qui



*Iura Domini  
exempta*

*Res furtivae  
vi ablatae*

91. Qui IVRE DOMINII sua bona praeter ceteris recipiunt, sunt, quia ratione sibi reservati, & non translati dominij, ceteris creditoribus proprie & in specie sic dictis, praecise anteponuntur.

92. In quorum autem numero, qui Iura Domini retinent, primas tenent illi quibus furto res ablatae, vel vi ereptae sunt.

93. Quique cum par illorum in hoc puncto sit causa, omnibus & quibusvis creditoribus, non solum ipsius furis sed etiam illius, ad quem res furtiva, quocunque modo, pervenit, arg. l. 2. C. de furt. praefertur. Et si res furtiva adhuc extet, in ea ipsa: Si vero consumpta sit, in eius aestimatione. l. 7. & 8. ff. de cond. furt. Hottom. Con. 91. de Privil. Cred. Beuth. p. 1. Pral. c. 44.

94. Praeter hoc enim, quod rei furtivae Dominium in furem non transeat, s. furtum autem, 6. Inst. de Oblig. quae ex delict. nasc. illi cui furtum factum est, tacita hypotheca in bonis eius, qui furtum perpetravit, consulitur, Bald. in l. 15. C. de furt. ubi addit: Omnia bona delinquentis pro satisfactione tacite obligari. Cuique sententiae communis Dd. schola suffragatur.

95. Et merito domini rei furtivae, vel vi ereptae, ante omnes habetur ratio, cum alioquin fur eiusque heredes ex gravi delicto, cuius enormitas alias publicam poenam meretur, contra omnem quietatem locupletarentur.

96. Tum vero iniuste esset, quod verus rei dominus ignorans & dissentiens, ex delicto vltimo damno afficeretur. Atque expresse ita statutum est Constit. Carol. Criminal. artic. 157. & 158. & l. 7. C. ad Leg. Jul. de R. public. & privat. & l. 1. C. si per vim.

*Deposita* 97. Praeter dominum, cui res ita ablata est, iure dominij deducit deponens depositum.

98. Cuique tantus de iure debetur honor, ut illi prima fronte, sine mora, illico & quam ocyssime depositum sit restituendum, adeo, ut nullis omnino interdictionibus eius restitutio impediri possit, Nov. 88. c. 1. Petr. Peck. tr. de Iur. sist. c. 33. n. 2. nec praetextu dominij, nec compensationis, vel deductionis, nec doli, vel personae agentis exceptione. l. 10. C. depositi iunct. Auth. seq. quae certis panis illos subesse dicit, qui depositi restitutionem impediunt.

99. Quorum omnium causa est, quod depositum apertissima bonae



bonæ fidei signa in sese contineat, quod & depositarius sit quasi fidei aliquod templum, cui res fideliter custodienda tuto committatur. Beuth. p. 1. P. c. 13.

100. Quare & Vlpianus in l. 7. §. 2. ff. depositi, summa ratione statuit; quoties nummularij foro cedunt, deponentium primo loco habendam esse rationem: ita ut ante priuilegia, rei depositæ impensis solum deductis, l. 8. ff. eod. hoc est ante mulierem, reficientem, Fiscum & similes priuilegiatos collocentur.

101. Planè autem cessat hoc priuilegium, cum deponens contra naturam depositi ex deposito aliquid usurarum vel lucri capit. Aliud siquidem est deponere, aliud mutuare. l. 24. ff. de reb. aut. Ind. imo & ipse censetur eo casu deposito renunciaisse. l. 7. ff. §. 2.

Limita. 1.

102. Vtrum autem & hoc priuilegium locum habeat, si res deposita consumpta sit, non extra controuersiam positum est. Quod affirmandum videtur, perd. l. 7. §. penult. & ult. & l. 8. depositi.

C

103. Neque verò quod bonæ fidei est, debet ad perfidiam detrahi. l. 11. C. depositi. Et dolo facit ita depositarius quo minus possideat, l. 1. §. 32. ff. eod. qui sane doloso prodesse, integro verò abesse nequitquam potest: concordat l. 22. de pœn. Tum nefas est, & lege naturali prohibitum, malis artibus aliena aucupari. l. 1. §. ult. de furt. Neque minus fur censetur depositarius, qui rem depositam contrectat, quam is, qui apertum furtum committit. l. 3. C. depositi.

104. Verùm illis non obstantibus, affirmatiua verior est, quæ & in foro obseruatur. Et imputet sibi deponens quod meliorem depositarium non elegerit, & fidem illius, qui depositum distraxit, secutus sit. Quale quid cum in causa furti non fiat, furti & depositi conditio planè diuersa est.

2.

105. Neque quid obstant ill. oppositæ. Siquidem allegatæ l. 7. §. 8. depositi accipiendæ sunt de eo casu, vbi depositum ipsum adhuc existat.

Objectionum  
2. motio.

106. Obstare verò videtur. l. si ventr. 24. §. 2. de Reb. aut. Ind. possid. Vbi Vlpianus verè dicit, eum qui depositis nummis vsuras acceperit, à cæteris creditoribus non separari; aliud enim est credere: aliud deponere. Addit verò: si nummi extent, se probare,

C

cos



eos vindicari posse à depositarijs, & futurum eum, qui vindicat, ante priuilegia.

107. Cui hoc consequens est, quod eo casu, vbi depositum verum subest, non solum illud si extet, sed etiam si non extet, eius æstimatio ante priuilegia debeat. Etenim alioquin verum depositum, & illud, quod transit in creditum planè non differrent. Adeoque vel falsum erit, quod dicit Vlpianus deponentem, qui recipit vsuras à cæteris creditoribus non separari, vel falsum illud, quod nihilominus nummos depositos, si extent, ante priuilegia rectè vindicet.

108. Et sanè hunc verè nodum Gordium dixeris. Putarem *versiculum si tamen. legis 24. §. 2.* ab indocto interprete adiectum & Vlpiani non esse. Neque enim verisimile est tantum Ictum in eadem ferè linea contradictorias illas propositiones non vidisse, vel proponere voluisse.

109. Quo dato, verissimum manet, priuilegium hoc præsens planè non obtinere, cum deponens contra naturam depositi aliquid lucri vel vsurarum ex deposito ceperit.

*Pecunia ad  
certos usus  
commendata.*

110. Eadem ratio quæ deponentis, est illius, qui alteri pecuniam in certos vsus, puta ad merces emendas, pensiones soluendas, &c. vertendam, bona fide commendauit. Neque enim pecunia ita commissæ dominium ipsius committentis personam egreditur, priusquam præscriptis vsibus impendatur, argument. *l. 17. §. 1.* Et æquè hic animus committentis attendendus est, ac in deposito animus deponentis. arg. *l. 19. ff. de reb. cred. l. 3. §. 1. ff. de de Obl. & Act.*

111. Accedit, quod & is, qui rem commissam præter committentis mentem in proprios vsus clam conuertit, furti actione teneatur. *l. 22. §. 7. ff. Mandati, l. 7. C. de furt.* Quò pertinet exemplum illud, quod Iason in *l. 41. §. quas vero. n. 7. ff. si cert. pet.* refert, aliquando in Italia Iuuenem Mercatorem pecuniam aliò perferendam consumpsisse, eumq; furti accusatum aliter defendi non potuisse, quin fuerit suspensus. Facitq; eò Consut. Electoralis *41. part. 4.* Vbi vid. Mollerum.

112. Referuntur quoque ad hunc ordinem creditorum illi, qui retento dominio, vsu solùm rei illis, cum quibus contrahunt,

CON-



concedunt. Prout sunt: Commodator, Locator, & Socius. §. Item, 15. Inst. Quib. mod. re. & t. Inst. de locat. & cond.

Res commo-  
data locata  
cones.

113. Neque enim & illis inuitis rei concessæ Dominium auferri potest. Quare & is, qui re commodatâ, locatâ, vel communi extra modum præscriptum utitur, furti actione tenetur, l. 5. §. 8. ff. commodati, l. 45. ff. de furt. l. 12. & 18. ff. comm. diuid. l. 46. & 56. ff. pro socio.

114. De socio autem quod dicitur non ad communis societatis Creditores, quibus sociorum vnus non minus, qam alter obstrictus est: sed ad creditores singulares alterius socij pertinet, pro cuius singulari & separato debito propria eius bona, societati illata, in solum capi non possunt. argum. d. l. 65. §. 1. ff. pro soc. & §. pen. Instit. eod.

115. Pertinet item huc venditor ille, cuius res sub lege commissoria vendita fit inempta, l. 2. l. ult. & tot. tit. ff. de lege commiss. Cuius melior vendendi offertur conditio. l. 41. ff. de R. V. l. 4. §. 2. & seq. ff. de in diem addict. Ut & ille qui solâ rei venditæ possessione emptori concessâ, Dominium sibi vsque ad vltimam & completam pretij solutionem, expressâ conventionem reseruauit. Poterit enim in solutionis defectu rei venditæ uti suæ incumbere, cogendo emptoris creditores, vt aut pretium, vel quod residuum est pretij soluant, aut quod exsolutum est recipiant. l. 5. §. 18. ff. de Tribut. act. Goth. ad l. 24. §. 2. lit. n. ff. de reb. auct. Ind. poss.

Reservata

116. Quinimo, etiamsi de expressâ reseruati dominij pactione non constet: attamen, si pretium non sit solutum: neq; emptori habita fides, neq; alio modo venditori satisfactum, cum bona obæratæ Emptoris hastam subeunt, venditor rem venditam iure dominij recte vindicat. arg. §. venditor, l. de rer. diuis. l. 19. & 53. ff. de contrah. Emp. l. 16. ff. de Per. & com. rei vend. l. 38. §. 2. ff. de liberali caus. Gail. lib. 2. Obs. 15. n. 4. & Obs. 25. n. 26.

117. Hisce quoque addenda erit Mulier ratione bonorum paraphernalium, videlicet si illa adhuc extant, quæ etiam viuo marito ab eius creditoribus potest vindicare. l. 29. C. de Iur. dot. etiam contra Fiscum, & contra maritum, quem ex primipilatus Officio, quod aliâs dotem quoq; anteriorem vincit, l. 3. C. de Primipil. obligatum habet. l. 1. C. de Privileg. fisci. Quorum bonorum tantus

Bona para-  
phernalia.



fauor est, vt qui res vxoris pro marito pignori capiunt, vim con-  
traxisse videantur. *l. 1. C. ad L. Iul. de vi publ. & priu.*

118. Tum vero iniquum esset, & contra omne ius, quod mu-  
lier alterius infortunio astringeretur, vel inquietaretur. *l. 24. C. de donat. int. vir. & vxor. l. 2. C. ne vx. pro mar. l. 22. C. de pen.*

119. At è contrario summe religiosum est, quemque suis bonis  
frui permittere. *d. l. 24. l. 9. C. de Iudais.*

120. Quod si forte bona illa perierint mariti culpa vel am-  
plius non extent, vritur vxor hypothecâ à tempore illationis. *l. ult. C. de pact. conu. Baldu. tr. de pignor. c. 7.* Quodque ita in Praxi  
cotidie obseruari videmus.

121. Sic cum liberis, dominium, quod in re propria peculiari  
non alienatæ vel consumptæ habent, rei vindicationem concedat,  
aliorumque varios prætextus cludat, *l. 3. §. fin. l. 6. §. fin. l. 8. §. 1. C. de secundis nupt. & illi ratione peculij, quod castrense & aduentiti-  
um vocamus, huc referendi sunt.*

122. Quid si re non amplius integrâ vindicationi non sit locus?  
Cum pietati, quæ parentibus debetur, aduersetur Iudicium rerum  
amotarum; Iustinianus actionem illorum in parentes legali hypo-  
theca mitigauit, in tantum vt & Creditoribus in specie sic dictis  
præferantur. *l. 12. C. qui pot. l. 6. §. fin. C. de bon. mater.* In cuius le-  
gis initio bona peculiaria cum bonis maternis, quorum fit men-  
tio in *d. l. 12.* disertè comparantur. Beuth. *p. 1. Prel. c. 2. & 3. Franc. Bald. de pig. c. 7. Neguz. m. 4. p. 2. n. 13.*

123. Constat in honorem matrimonij turpem actionem aduersus  
vxorem, res mariti dolosè contrectantem, negari, *l. 2. de Act. rer. amot. & Iudicium amotarum* introductum esse *l. 1. & tot. tit. ff. & C. eod.* Quod obtinet quoq; ratione rerum, quæ in natura esse desierunt. *l. 17. §. 2. eod.* Rei veritate enim illa furtum facit. *l. 29. eod.* quamuis hoc mitiori nomine efferatur: vt & illo casu, quo ei, cui heredes sumus furtum fecit, vel nobis, antequam nuberet, dicatur tantum competere condictio furtiua, *l. 3. §. 2. eod.*

124. Idem ergo quod supra de domino rei furtiua dictum est, & pro-  
cedit, in marito, cuius res vxor dolo malo contrectauit. Adeo vt si  
fortè mulier mortis causâ res amouerit, deinde mortuus sit ma-  
ritus,



ritus, hereditatis petitione vel actione ad exhibendum consequi possit heres id, quod amotum est. *l. 22. §. 1. d. 1.*

125. Et alius casus datur, quo quis speciali legis beneficio omnibus creditoribus alijs praefertur, ut puta, si filius familias contra SCtum pecuniam mutuatus, soluerit. etenim tunc patri nummos vindicanti nulla exceptio obijcietur. *l. si filius. 14. de reb. credit.*

126. Quod indubitato procedit si nummi extant, sed si fuerint consumpti à creditoribus, Marcellus, referente Ulpian. *in d. l. 44.* ait cessare conditionem: at è contrario Iulianus *in l. sed si. 9. §. 1. de SCto. Macedoniano.* patri ex omni euentu, *hoc est,* ad extremum / si nulla alia actio subsit, conditionem competere, Vid. Cuiac. *14. Obs. c. 35.*

127. Et redditur patris intentio eò probabilior, quod infidus filij. creditor propter iniquissimum excessum utili actione serui corrupti teneatur, argt. *tit. ff. de seru. corr. & tit. ff. ad Leg. Aquil.* Sicuti ex aduerso si in alimenta filij. quid versum sit, pater teneatur actione de in rem verso. *l. 1. & 3. pr. & tot. tit. de in rem vers.* Quod fieri dicimus, quotiens non apparet filium. pecuniam mutuatae male locasse. Ut nec etiam obtinet illa conditio, si filius. ita mutuanti fortè mutuum reddiderit. Quomodo nuperè in causa duorum Nobilium decisum memini.

128. Cessat insuper illud priuilegium, si creditori ex peculio castrensi in quo filij patrum. vice funguntur, solutum sit, *l. 2. ad SC. Maced. ut & aduersus eos, qui studiorum causâ sumptus suppeditarunt, l. 7. §. 13. eod.* quamuis hoc multas habeat limitationes, de quib. ap. Rebuff. Ac deficit priuilegium illud in omnibus casibus, in quibus SCto locus non est.

129. Ut tandem verbo dicamus: Ponuntur antè priuilegia omnes, qui dominium in re, quam petunt, probare possunt. Coll. Arg. *l. 42. th. 39.*

130. Quare & huc referimus debitorem pignoratitium vindicantem rem solutione debiti liberatam, *l. 12. de distr. pign. l. 9. C. de pign. act.* ut & illum, qui rei litigiosae dominium sententiâ iudicis adeptus, vindicat rem ab eo, cui illa ex parte aduersa oppignorata est. *l. 1. §. 2. ff. Quae res pign.*



Privilegiatj  
Creditores

131. Succedunt nunc illi creditores, qui protopraxiam sibi ex legali favore competentibus actionibus euincunt, suntque illi, quos in præcedentibus diximus privilegiatos; & hi, prout favor iste desumitur vel ex Re, vel ex Persona, vel Reales vel Personales.

Reales

132. Reales sunt, qui iura prælationis sibi vendicant ex consideratione modi vel causæ contractus, ex quo obligatio descendit, æquitate sic dictitante.

Modj

133. In Modo consideratur vel Vitium, vel Conuentio. Vitium autem est in errore vel dolo.

Ex errore

134. Si Error interueniat, id, quod sui liberandi causâ alicui indebitè solutum est condictione actione repeti potest, l. 1. §. 1. ff. de Cond. indeb. hoc Iure, vt qui ita condicunt, cæteris Creditoribus hypothecarijs omnibus, qui ex certa & iusta causa scientes fidem debitoris sunt secuti, imò & mulieri præferantur. Beuth. p. 1. Præl. c. 71.

135. Quippe, qui Error quid fecit, non consensisse iudicatur, l. 1. ff. per errorem ff. de Iurisdict. omn. iudic. Et qui indebitum soluit, potius hoc fecisse censetur animo distrahendi, quam contrahendi. §. 1. Instit. Quib. mod. re contrah.

136. Videtur & is qui indebitum sciens accepit furtum commisisse, præsertim si dolosè retinuerit ac reticuerit. arg. §. 6. & 7. Instit. de obl. qua ex del. quod soluentis error probabile reddit. Neq; solum illum qui imprudens soluit, sed & eum, cui reuera solui debebat, decipit: quæ duplicata fallacia condicentis actionem eò reddit favorabiliorem. Beuth: p. 1. Præl. c. 71.

137. Deniq; quod si indebitum soluentis durior esset conditio, ac cæterorum Creditorum, hi cum illius graui iniuria, quam facti error, qui neminem grauat, non adimit, locupletarentur: quod est contra iura vulgaria. l. 14. ff. de Condict. indebit.

138. Sic si Dolus contractui causam dedit, & is, qui dolo debitoris, fortunarum dispendium facientis, inductus, ignorans illum iam fraudandi consilium inijsse, ei pecuniam bonâ fide credidit, alijs, qui fœnori res suas exposuerunt, summâ ratione antefertur. argt. l. 7. §. 2. ff. depositi.

dolo inductj

139. Quod & affirmamus de creditore dolo ita inducto ab emptore, vel hoc fugam præcogitante. Gail. 2. Obs. 15. Neguz. M. 2. part. 5. n. 9.



2. n. 9. Col. Arg. l. 42. tit. 5. ff. 39. n. 5. vbi eleganter additum, hoc in tanta fraudatorum copia & improbitate salubriter receptum esse, quod quoq; ex ipsis Iuris fontibus manasse statuimus.

140. Siquidem bona creditoris & venditoris fides, vt & iusta ignorantia fraudulentis debitoris instituti vult causam decidi ex æquo & bono. Vbi ea quæ de Apicibus Iuris sunt, examinare non conuenit. l. 2. §. 4. ff. Mandati. Quod præsertim in foro mercatorum erit attendendum. Gail. 2. obs. 21. & ob. 27. n. 27.

141. Tum quia negotio, quod gestum est, dolus causam dedit, illud ipso iure nullum est, & redit in integrum, l. 7. in pr. ff. solut. matr. Cum dolus sit omnium malorum principium, inundatio & euersio domorum, & totius pij & constantis Reipub. status. Vigl. in princ. libell. de Fide Ictorum, argt. l. 9. §. 2. ff. de minoribus. Cui omnibus modis obuiandum, l. 1. ff. de dolo malo, l. 11. §. final. ff. de doli mali except. quoque nemo conditionem suam meliorem facere vel præmium lucrari poterit: l. 134. ff. de R. I. Quod vtiq; fieret, si Creditor vel venditor hîc elusus à reliquis excluderetur, & interim dolosus manifestissimum commodum acciperet, qui hoc pacto solutionis expers constitueretur, contra l. 206. ff. de R. I.

142. Sequitur Conuentio, quâ Creditor speciali aliquâ provisione in re contractui subiecta, sibi expressam hypothecam constituit, & reseruat. In qua hypotheca debitor ad illius detrimentum nihil immutare potest. argt. l. 4. & 9. C. & l. 8. & 9. ff. qui potior. in pign.

Ex Conuentione.

Ei9

143. Huiusmodi prouisio reperitur in eo, cuius pecuniâ res empta est, qui si directe & statim pactus est, vt res pecuniâ suâ empta sibi pignori maneret, cæteris omnibus hypothecarijs anterioribus præfertur. l. licet. 7. C. h. t. Sichardus Francisc. Balduin. de pigno. c. 7. sub fin. Neguz. Tr. de pign. & hyp. p. 5. m. 2. n. 17. Gail. 2. obs. 12. num. 3. cap. 4. & post alios Harprecht. §. 4. Inst. Quib. mod. re cont. obl. num. 252.

Et pecuniâ res empta.

144. Quamuis negari non possit, aliàs priores haberi potiores: d. l. 7. eleg Iust. n. in Nouell. 91. c. 1. & quod alterius pecuniâ emptum est, euentis, non eius, cuius pecunia fuit, regulariter fieri. l. nos ea C. de rei vindicat. l. 1. & 8. C. si quis alt. vel. sibi, prout ex voluntate venditoris Domini, defectu consensus illius, cuius pecunia

nia



niares emitur, & traditionis naturam accuratè demonstrat Donnellus, *Com. c. 2.* Quod tamen denuò fallit in pecunia Militis, *l. 8. C. de rei vindicat. Minoris, Pupilli, l. 3. C. arbit. tut. l. 2. C. qui. ex fact. tut. l. 3. ff. de reb. eor. qui sub. Vxoris, l. rer. C. de Iur. dot. l. 54. ff. eod.*

*æq̄tas h̄g  
privilegij*

145. Commendat hoc privilegium summa æquitas. Quandoque ceteri creditores rem emptam non haberent, nisi huius pecuniæ empta fuisset. Cui accedit, quod emptor rei emptæ dominium ex interposito pacto nunquam ita habeat, ut illud, excusso, cui subiacet, onere, in alium transferri possit.

*C. nb.*

146. Non iniuriam autem dubitatur, utrum & inter Chyrographarios, actionem personalem puram habentes, is cuius pecunia aliquid emptum est, prædicto pignoratitio pacto omisso protopraxian habeat, eo quod de hoc casu nulla expressa lege definitum sit? Quod affirmat Ioannes Glossator, citatus ad hoc à Bartolo per *l. qui in navim, 26. ff. de reb. auct. Indic.* Reliqui Dd. negant.

147. Sichardus in *d. l. 7. C. h. tit.* dicit hanc questionem valde dubiam esse, hoc adiecto consilio, ut de re adeo necessaria ipse Imperator aliquando adataur.

*Decisio*

148. Videbimus utrumne ex æquitate aliquo modo decidi possit, quæ est, ut si quis mutuaverit pecuniam, ut ex illa rem certam emeret, mutuans præferatur: at si illa simpliciter, nulla rei emendæ mentione adiecta, mutuo sumpta fuerit, eius conditio sit eadem quæ est aliorum Chyrographariorum. Ita distinguit Cynus & post eum Petr. Vanderan. *de privileg. Creditor. c. 8.* Sichard. *d. loc.* Et ita pronuntiare non dubitamus.

*q̄ rem sub  
hac ḡdic̄  
vendit*

149. Ex eadem prouisione & ille vniuersis hypothecarijs, etiam mulieri præfertur, qui hæc expressam conditionem merces suas vendidit, ut usque dum pretium pro his non solueretur, illæ in solutionis securitatem ipsi tantisper pignori obligatæ permanerent. Negutz. *4. part. princip. n. 33. & 34. item membr. 2. p. 5. n. 17.*

150. Cuius iuris ratio hæc est, quod emptor rei venditæ dominium sibi ex hac vnica causa solum acquirat, ut ea venditori pro pretio obligetur: quam conventionem, ni Emptor iniisset, res empta non haberetur. Adeoque nisi pretium conuentum numerat-



merabitur, venditor in re solus & potior merito habetur. Ac  
perperam somniant ceteri Creditores, per illius prælationem,  
acquisita sua iura ipsis diminui. Beuth. p. 2. P. c. 3.

151. Præcisè autem requiritur, vt hypothecaria hæc pactio  
in hisce casibus statim in initio contractus, vel saltem in ipsa rei tra-  
ditione apponatur. argument. l. 7. C. *Qui pot. in pig.* Quippe cau-  
sa semper est prior suo effectu: At dominio per traditionem qua-  
sito obligatio illa est inutilis, nihilque per illam prioribus Credi-  
toribus derogari potest. l. 1. §. vlt. ff. de reb. eor. qui sub. Sanè post  
translationem dominij adiecta, præiudicat ipsi emptori. Neguz.  
p. 4. pri. n. 35. & seq. vbi hanc quæstionem latè deducit.

152. Hæc de MODO: CAUSAE contemplatione Creditori-  
bus priuilegium aliquod indultum est, qui non tam ex tempore,  
quàm causa ex qua debitorem sibi habent obligatum, prælatione  
sub tacita plerumq; legali hypotheca, æquitatis fauore recipiunt.  
Quod priuilegium, cum varias causas habeat, ex iisdem defini-  
endum est.

153. Atque primò, ne memoriz, pietati & meritis honoribus  
defunctorum aliquid detraheretur, temperatis eorum parenta-  
tionibus id priuilegij datum est, vt illi, qui impensas in funeris ri-  
tus, vel deductionem pro existimatione & dignitate defuncti fe-  
cerint, omne creditum præcedant, l. 45. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 12.  
§. 5. & 6. ff. eod. l. 4. C. de petit. hered. l. fin. §. 9. C. de Iure delib. l. 1. §. 19.  
ff. ad L. Falcid. cum l. seq. §. vlt. Inst. eod. Meyrer. l. 2. h. tr. n. 11. Fran-  
cisc. Balduin. tr. eod. pign. c. 6. Neguz. tr. de Pig. memb. 2. part. 5.  
princip. n. 28. Etiam dotem, l. 18. & l. seq. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 60.  
ff. solut. matr. Petr. Vanderan. d. tr. cap. 4. Harprecht: §. 4. Inst. quib.  
mod. re. contrah. obl. n. 244. & depositum: Summa enim est ratio, quæ  
pro relig. facit. l. 43. in fin. ff. de religios.

154. Vnde & hoc est, licet libri studioforum sint priuilegiatissi-  
mi, quod tamen hospes eos pro impensis funeralibus rectè reti-  
neat. Post rebuff. Beuth. part. 1. præl. c. 23.

155. Quin & vitâ functo colono vel inquilino, si desit vnde fu-  
neretur, ex inuectis funeris impensæ præstandæ sunt. l. 14. §. 1. de  
Religios. & sumptib. funer.

156. Et obtinet hoc priuilegium, siue is, cuius bona veneunt,  
D funera.

N.B.

Causa  
resp.

Sumptus fu-  
neris.



funeratus fuerit, siue quid is hoc nomine debuerit, quod reddere eum, si uiueret funeratiua actione intentata oporteret. *l. Questum 17. pr. de Reb. auct. Indic. possid.*

157. Cuius priuilegij præter pietatem ratio est, Publica utilitas, quæ uetat mortua cadauera insepulta iacere, d. l. 43. de Religios. & sumpt. funerum. tum veterum religiosa auctoritas, qui rectius se æquitati & honori consulturos putarunt, si cum fortè per fortunam utriq; satisfacere non liceret, Creditori potius debita, quam mortuo Instita parentationes denegarent. Petr. Vanderan. *de Priuileg. Cred. c. 1.* ubi eliganter & prolixè Funerum antiquam historiam refert. Addatur locus Platonis, *4. de ll.*, cum ait, Veteribus semper hanc insitam fuisse opinionem, ut, si qua ratione per fortunam licuerit, mortuos debito honore fuerint profecuti, & ille Ciceron. l. 1. Tuscul. quæst. Viuos maximè curare debere, ut in mortuorum sepulchris consuetudini & famæ tribuatur satis.

*Medicamenta*  
158. Veniunt autem impensarum nomine, quæcunq; corporis causa ante & post animæ discessum sunt erogata: ut sunt pharmaca, vel medicamenta ægroto exhibita: Vnguenta: precium loci ubi defunctus humatus est, & si qua vectigalia sunt, quæ in itinere præstantur dum corpus de loco in locum transfertur. Item Sarcophagi & vestiaria quibus exuuiæ inuoluuntur. *l. 4. C. de petend. hered. l. 3. C. de Religios. & sumptis. l. 37.* ubi Gothofred. ff. *cod. Cuiac. 11. obs. 21.* Coll. arg. ff. *l. 42 tit. 5. P. 32. n. 19.* Iungatur locus Marci *14. in init.* ubi ipse Saluator extollit foeminam, quæ ipsum nardo consperferat, quod bonum opus operata sit erga ipsum, præuenit enim vngere corpus suum in sepulturam.

*Medic. Chirurg.*  
159. Pertinent huc sumptus Medicis & Chyrurgis præstandi, *d. l. 4. C. de petit. hered. l. 3. C. de religios. sumpt.* Obrecht. *disp. 15. th. 489.* Et quorum si plures sunt, habetur illorum ratio secundum proportionem Geometricam, ut semper, potior est Medicus Chyrurgus, per *l. 33. ff. de reb. auct. Ind.*

*C*  
160. Quid si cum medico ICTus concurrat? quanquam hic illum dignitate præcedat: attamen cum hic in priuatis negotijs versetur, quæ nec famam nec existimationem concernunt & ICTus illo erit posterior. argt. *l. 3. & 4. C. eod.*

*T*  
161. Minus autem rectè sumptibus funebribus annumerantur  
Ve-



Vestēs lugubres, Fasciæ sericæ, pepla, quæ cognatis defunctorum demore dari, vt & illa, quæ in conuiuia defunctorum coem̄ solent: cū hæc potius pomposæ ostentationi, quàm pio honori tribuantur, præsertim si vel exultationem, vel fortunas defuncti excedant. *l. 14. §. 6. & l. 37. §. 1. ff. de Religios.*

162. Quodque de veritate Iuris certissimum est, tametsi hodie plerisq; in locis aliter obseruetur, vbi quoq; eiusmodi vestes, alijs uè sumptus funebres censentur; modo seruetur dignitatis defuncti, & quantitatis patrimonij illius proportio, quæ ipsa arbitrio iudicis determinanda est.

163. Sæpius fit, quod quidam aliorum militent pecunijs: hæc de causa aditus Imp. Iustinianus *Nov. 97. cap. 4.* sanciuit, vt is, qui occasione militiæ, vel aliarum huiusmodi causarum, crediderit, quique in eius argumentum ius protopraxias stipulatus, instrumentum desuper confectum, & à testibus subsignatum habuerit, non solum hypothecarijs expressis anterioribus, sed & mulieri, ratione etiam prioris dotis, præferretur. *Auth. quo iure C. qui potiores.* non tamen ratione paraphernorum adhuc extantium, *l. 1. C. de priuil. fisci.* Diss. Neguzant. p. 5. memb. 2. n. 21. Vbi vult cum Baldo prædictum Creditorem non nisi doti posteriori præferri.

164. Idem & de expensis, custodiæ alicuius Castri causâ factis, cum & ita quis salutis publicæ, cuius suprema lex est, suâ pecuniâ bene prospiciat, à Dd. nostris receptum est. *Beuth. p. 1. Pral. cap. 55.*

165. Et præterea ex verbis eius Nouellæ, **VEL PRO ALIIS QVIBVSDAM TALIBVS CAVSIS**, extendunt priuilegium illud ad eos, qui ad equestris ordinis, puta S. Michaelis, Aurei Velleris, S. Iohannis &c. summos honores consequendos pecuniam expressim sibi resernatâ præferentiâ cuidam mutuaauerint & Idem *Beuth. p. 1. Pral. c. 5. 7.*

166. Quod, quantò insigniores illi honores sint, tantò maiore fauore digni existimandi sint, qui ad huiusmodi honores aspirantibus suâ pecuniâ præfuerunt. Et quòd ordines & societates illæ sint quasi seminaria, ex quibus, ardente statu publico, egregij ac strenui belli duces, pro totius Imperij salute desumantur.



167. Extendunt quoque illud priuilegium ad eum, qui alicui causâ redemptionis, seu honorarij, collatori ex more pro concessio beneficio præstandi, pecuniam verè mutuauerit. Si modò causa, in quam credidit, instrumento, à testibus subscripto, fuerit inserta, adiectumq; eum fore cæteris solum priorem. Beuth. p. 1. Præf. c. 56. Quæ extensio & eâ ratione quoque innitur, quod acquisitâ aliqua præbendâ speciale alimentorum commodum debitori simul acquiratur.

Victus  
rator

168. Sanè, qui ad frugalem & necessarium victum alteri frumentum, potum, carnem, alteriusuè generis cibaria crediderit, omnibus expressis hypothecarijs, illis etiam, qui ad refectioem ædium pecuniam impenderunt, imò & mulieri summâ ratione præfertur.

169. Etenim non solum, fortunas domesticas Debitoris - auget? sed & eius corpus & vitam conseruat; neque non solum vnius atque alterius pignoris causam saluam constituit: vti habetur in l. 7. ff. qui potior. in pign. sed & basin & caput tantam debitorum molem sustinentis conseruat.

170. Atque alimentorum consideratio in tantum priuilegiata est, vt & mulieri sit iniunctum, coniugij onera vnâ cum marito de dote suâ sustinere, & ipsi, vt & parenti, reuerentiæ & pietatis affectu, qua ipsa deuincta est, ex dote alimenta præstare. l. 73. ff. de Iur. dot.

171. Neque hoc creditum, quod pietati adscribitur, l. Mela, de Aliment. leg. solum homo à nobis impetrat, sed & ius ipsum requirit, sic præcipiens: pasce fame morientem ni enim paueris, cum paueris, fame te eum occidisse existimabis. c. pasce. Dist. 86. Concordat. l. necare, 4. ff. de agnos. & alien. liber.

Pro repara  
tione

172. Insuper & illi, qui in domus, vel naus alteri pignori subiectæ refectioem crediderunt: putavt domus ruinosa reparetur, naus refabricetur, vel armetur, cibaria comparentur, naulum & vecturæ soluantur, vti tacitam hypothecam ex Scto ipso Iure habent, ita etiam in domo vel naui, omnibus hypothecarijs, etiam anterioribus, præferuntur, l. 10. ff. in quibus causis hypoth. tacit. l. 5. ff. qui potior. l. 25. ff. de reb. cred. Meyrer. lib. 2. tit. 10. n. 1. Coll. Argent. pand.



*pand. l. 42. tit. 5. th. 32. n. 8. & 9.* Potior tamen illis est mulier, cuius infirmitati eiusmodi priuilegia opponere esset inhumanum. *Nov. 97. c. 4.*

173. Cuiusq; priuilegij ratio adeò obscura non est. Etenim & pecunia in reparationem domus vel nauis erogata reddit reliquis creditoribus omnibus causam totius pignoris saluam, quod aliàs vel penitus interijisset, vel saltem pro maxima parte & quidem metu imminentis interitus, fuisset imminutum. *l. 6. ff. qui potior in pig.* Obrecht. *Disp. 15. th. 463.* Harprecht. *S. 4. Instit. quib. mod. re contrah. obl.*

174. Addimus ex *l. 6.* & hanc rationem: Quod Reipub. interest, vt ruinosæ ædes restaurentur, ne aspectus ciuitatis deformetur. *l. 2. S. 17. & l. vlt. ff. ne quid in pub. l. 20. S. 10. de noui oper. nunciat. l. 1. ff. de tign. lunct. l. 2. C. de Aedific. priuat & c.*

175. Nec minus verò sed magis Reipub. interest, vt naues contra inedia[m] cibarijs, contra impetum pyratarum armis, contra maris sæuitiam alijs adminiculis instruantur; scilicet vt eò tutius, conducibili Reipub., & aliorum, quibus res in nauis, vel ipsa nauis obligata est, commodo, ne commercia annona premantur, in portum perueniant. Accedit & hoc, vt eo promptiores & faciliores inueniantur homines, qui in hasce causas pecuniam impendant. Vid. Herm. Meyrer. *tr. de pign. lib. 2. c. 10. per tot.* Petr. Vanderan. *de Prefer. Cred. c. 8.* Francisc. Balduin. *c. 7. d. tract.*

176. Porrigitur hoc priuilegium etiam ad eum, qui domino mandante, redemptori operis, qui ædes instaurandas conduxit, & Græcis vno verbo *ἐργολαβὴ* dicitur, pecuniam subministravit. *l. 1. ff. de quibus causis pign. tacit.* vbi Gothofr. & *l. 24. S. 1. de reb. auct. lud. possid.*

177. Cessat autem si pecunia non nominatim & expressim in domus vel nauis refectionem, sed simpliciter solum, nulla eius factâ mentione, mutuata fuerit; quantumuis etiam postea ex ea reparatio fortè fieret. Mynsing. *Cent. 1. Obs. 60.* Gail. *2. Obs. 12. n. 4.* Meyrer. *tr. de pign. lib. 2. tit. 9. n. 5.* Etenim qui non in expressum & determinatum finem credidit, in omnem euentum, & debitoris arbitrium, credidisse censetur, Petr. Vand. *d. c. 8. Beuth. p. 1. Præb. cap. 20*

*Amplius.*

*Limitatio.*



*limitatio 2.* 178. Sic quoque cessat, si domus vel naus ex pecunia ad refe-  
ctionem numerata actualiter non fuerit reparata. *l. 5. verb. impen-  
sum est, ff. Qui potiores in pign. hab. Coll. Argent. pand. l. 20. t. 4. th.  
8. Gabriel Mudæus. tr. de pign. tit. quib. mod. pign. solv. n. 95. Gail.  
2. obs. 25. n. 7.*

*limitatio 3.* 179. Neq; obtinet, quando fortè alterius pecuniâ domus vel  
naus tota de noua exstructa est. Quod non mirum videatur, cum  
quod de nouo ædificamus, antea cum nondum fuit, alijs pigno-  
ris nexu non potuit deuinciri. *Beuth. lib. 1. Pral. c. 20.*

180. Quod si tamen & hoc casu intercedat expressa pignoris  
conuentio, negotium *l. 7. C. qui potior. in pign.* applicabitur. Quæ  
si sit omissa ab hypothecarijs etiam posterioribus huiusmodi Cre-  
ditor excluditur, priuilegio exigendi ei solùm contra Cheirogra-  
pharios reseruato, de qua facti specie intelligenda, *l. 26, & 34. ff.  
de reb. auct. Ind. poss. Vid. supra.*

*limitatio 4.* 181. Insuper cessat priuilegium illud, si domus refecta mox cor-  
ruerit, *Zaf. adl. 25. ff. de reb. cred. Quippe re extinctâ perimitur eius  
inhærens qualitas; neq; locus vel area; sed ipsa domus restaurata  
hic in contemplationem venit. Beuth. d. c. 20.*

*limitatio 5.* 172. Et cessat in excurrente summa in refectioem quidem mu-  
tuo sumptâ; sed eidem non impensa: *Zaf. d. loc. n. 7. Coll. Argent.  
d. t. 4. th. 8. Petr. Vand. d. c. 8. sub. fin.*

*Extensio* 183. Annumeratur autem rectori ille, qui seruum, (quod ho-  
diè de quacunq; re alia dicimus) à publicis hostibus suâ pecunia  
redemerit. Etenim ille vnicè in causa est, quod seruus, lytro so-  
luto, ad priorem obligationem reuertatur, qui non redemptus  
planè interijisset, eluso creditore, qui in eo crediti sui securitatem  
prætendebat.

184. Præterea, vt occurreretur ingratorum hospitem perfidiæ,  
qui præter necessariam & curtam suppellectilem nil quicquam ha-  
bebant, initio Romæ & in eius territorio inductum est, vt pro cau-  
to & conuento tacitè haberetur, inductam suppellectilem pro pen-  
sione locationis præcisè teneri, & hoc ipsum postea legibus ex-  
pressis fuit definitum, & ad vniuersas Romanorum prouincias ex-  
tensum. *l. 2. 4. 7. ff. & l. fin. C. in quib. causis hypoth. l. 5. C. de locat.  
& cond.*

*tacitum pign.  
in bonis  
illatis*



Et cond. Francisc. Balduin. tr. de pign. c. 6. VVesenbec. Par. lib. 20.  
tit. 2. n. 2.

185. Atq; in tantu receptum est, vt etiamsi vnâ tantum nocte con-  
ductor in hospicio vel cœnaculo manserit, res illatæ nihilominus  
locatori obligantur. Br. in l. 5. C. de locat cond. Boc. Cl. 2. disp. 12.  
th. 34.

extensio.

186. Cuius hypothecæ eadem ratio & vis est, quæ expressæ. d. l. 7. ff.  
in quib. caus. hyp. tac. contrah. Vt & in illa obtineat lex, qui prior  
est tempore potior est iure, l. 4. 6. C. qui pot. in pign. l. 2. & l. 8. ff. eod.  
& habens illam etiam præferatur fisco, posteriori. Vterq; liqui-  
dem tacitâ hypothecâ munitus est, de qua quam primûm exori-  
tur quæstio temporis, prærogatiuæ aperiuntur fores, nisi singu-  
lari priuilegio alter præ alio præminentiam habeat. Beuth. p. 2.  
pral. c. 47.

Tacitâ de pign.  
hypothecâ  
vis eadem.

restrictio.

187. Quod dictum inducta tacitè obligari pro debita pensione,  
procedit quoque, si fortè domus conducta culpâ conductoris de-  
teriorata fuerit. l. 2. ff. in quib. caus. l. 43. ff. locat. Heig. Inst. de action.  
§. Seruiana; Franc. Balduin. d. c. 6. Mynsing. C. 6. Obs. 86. Fallit  
verò si eadem fuerit gratis concessa. Dn. præses Exercit. Inst. part.  
1. Decad. 10. Ass. 8. Donell. tr. de pign. c. 4. Neque enim tum ædes  
conductæ dici possunt, prout rectè asserit Obrecht. Disp. 15. tit.  
64. & seq.

ampliatio.

188. In quibus aliàs prædicta in tantum procedunt, vt non so-  
lùm primi sed & secundi inquilini bona ilata, ex præsumpta volun-  
tate vtriusq; partis, locatori teneantur. l. 11. §. solutam. ff. de Pignori  
rat. act. Harprecht. §. 4. Inst. quib. mod. re n. 14.

189. Requiritur autem, vt res illatæ eo animo inductæ sint,  
non vt ad rempus saltem, sed vt perpetuò ibi essent. l. 7. §. 1. ff. in  
quib. caus. hypoth. tac. Neque enim, cum res in domum inferun-  
tur, vt aliò transferantur, hoc agi videtur, vt illæ sint pignori,  
quòd hîc loco pensionis est, quæ plerumq; primûm tempore lo-  
cationis elapso soluitur.

?

190. Quod si ideoq; quis res suas ex agro in domum condu-  
ctam metu belli, aut latronum incurfus fortè intulerit, illæ taci-  
tam hypothecam non subeunt: Inductæ enim sunt eo animo, vt  
suo.

?



lucro tempore in villam reportarentur. Iung. l. 35. §. 3. ff. de hered. instit.

191. At si mercator in conductam tabernam merces intulerit, eâ intentione, vt illic manerent, donec venderentur; & illæ obligatæ rectè dicuntur, ita tamen, vt conuenienter, quæ natura mercium est, distrahantur. Quod si locator, factâ præclusionè, illis manum iniecerit, desinunt esse merces, nec amplius possunt vendi, sed actu ipso specialiter pro omni euentu locatori obligantur. l. 9. ff. in quib. caus. hyp. tac. & vbi Goth. l. 34. ff. de pignor. Zaf. & Mudæ. in d. §. item Seruiana Inst. de act. Balduin. d. loc. Arius Pinel. ad rubr. C. de bon. mat. n. 146. Dn. Præses part. 1. Exerc. Inst. Decad. 10. Ass. 8. lit. e.

De nummis  
in locis urba-  
num illatis.

192. Idem dicimus de nummis in prædium vrbani, vt ibi essent donec exponerentur, illatis. Namque & illi sub pignore generali, quale tacitum plerumq; est, sine vlla distinctione continentur. d. l. 34. §. ult. l. 7. §. ult. ff. qui potior. in pign. Et vti merces venduntur, ita nummi exponuntur, & vti merces mercibus, ita nummi nummis substituuntur, ex qua Propriorum analogia huius assertionis veritas dependet. Harprecht. d. §. 4. Inst. quib. mod. re contrah. obl. Quamuis dissent. Zaf. Schneidevv. & Heig. ad d. §. Item Seruiana, inst. de actionib.

193. Satis anceps & dubia quæstio est, de inductis à minore sine eius curatore in vrbani prædium, vtrumne videlicet & illa tacito pignori subijciantur? Quod negat Menoch. de adipisc. possess. remed. 3. n. 65. & 2. arbitr. cas. 171. n. 30. Nos affirmamus. Tùm quia res minorum, quamuis voluntariæ earundem dationi interdicitum sit, ab hoc tacito pignore nusquam eximuntur; tùm quia in pignore illo non graue pupilli damnum versatur, cum nihilominus mercedem præstare teneatur. Adeoq; hinc meritò sufficiat generale legis decretum, l. 3. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 46. ff. de obl. & Act. Gail. lib. 2. Obs. 83, n. 9. Bocer. Clas. 2. disp. 12. th. 55. Dn. Præses. part. 1. Exercit. Inst. Decad. 10. Assert. 8. lit. E.

194. Vtrum res in ipsam domum vel horreum, siue stabulum contiguum fuerint inductæ, nihil refert. Etenim horum cum ipsis ædibus eadem ratio est. l. 3. & 4. §. 1. ff. in quib. caus. hypoth. quod etiam ad Nauim & Molendinum bonâ ratione extendimus.

195. Cef-



195. Cessat autem hoc ius taciti pignoris; 1. in rebus alienis, quæ domino invito nec expressè obligari possunt, nisi cum scientia vel taciturnitate ipsius dolus coincidat, argt. *l. 2. C. si alien. rer. pign. data sit, l. 5. C. ad SCtm. Vellei.* 2. in rebus alteri iam tum obligatis, quæ semper ad tertium cum suo onere transeunt, *l. 11. §. 2. ff. qui potior.* 3. in Chyrogaphis & nominibus inductis, eò quod hæc sub generalitate obligationis non contineantur, *l. 76. ff. de Legat. 2. Neguzant. d. loc. n. 153. Harprech. d. §. 4. Inst. quib. mod. re contrah. n. 4.* 4. in armis militum, libris studiosorum, vt & pecunia illis studiorum gratiâ transmissa; tùm quod hæc pignoris nexu generali non credantur supposita, vid. *supra*, tùm quod recip. maxime noceat hisce milites vel studiosos priuare. Zasius & Mudæus ad *d. §. Item Seruiana. Dn. Præses d. loc. lit. E.*

196. Deniq; cessat in inductis in prædium rusticum, quod fundo cohæret, eiusq; pars est. Siquidem in eo expressa conuentio necessaria est. *l. 4. ff. in quib. causis hypoth. & fac. d. l. 4. verbis, In rusticis contra.*

197. Quare & Icti, cum de pignore illatorum in prædium rusticum loquuntur, semper expressi, nunquam taciti mentionem faciunt. *l. 32. ff. de pign. l. 11. §. 2. ff. qui potior. & tot. tit. ff. de Saluian. interdict. l. 5. C. locat. vbi per verbum voluntatis expressam conuentionem intelligimus.* Contrâ verò, cùm meminerunt prædij urbani, de vnico eoq; tacito ijs sermo est. *l. 4. ff. de pactis. tot. tit. ff. qua res pign. oblig.*

198. Neque non dispar illorum prædiorum ratio est, cùm domino prædij rustici de annuo canone satis cautum sit per fructus, qui ibid. nascuntur, siue naturales, siue industriales illi sint, qui ipsi tacite obligantur. *l. 7. ff. & l. ult. C. in quib. caus. tac. pign. l. 24. §. 1. & l. 53. ff. locati.* Quæ fructuum ratio in prædia urbana non incidit, adeoq; necesse fuit domino alio remedio consulere, Iung. post Duar. Coras. Eginarium, Baronem: Connanum: Donellum *de Pign. c. 4. Bald. c. 6. VVesenb. in parat. lib. 20. tit. 2. Dn. præf. d. loc. lit. E. Obrecht. disp. 15. th. 69. Colleg. Argent. d. t. 2. ff. th. 3.*

199. Deniq; quoad hunc locum notandum & illud, quod dictum est, illata in prædium rusticum, non obligari pignori, nisi expressè ita conuentum sit, non procedere in illis, quæ non in-

E

ducta



ducta sunt, ut ibi perpetuò essent; *l. 32. de pignor.* Neq; in persona  
secundi coloni, cum conuentio illa personalis & facti sit. *d. l. 24.*  
*§. 1. ff. locati.*

200. Succedit ille, cuius solo aliquid inædificatum est, puta,  
plantæ, vineæ, ædes &c. qui illis, qui in superstructis pignus sibi  
pararunt, anteponitur. *l. 15. ff. qui potior. in pign.*

201. Sic & Nautæ, aurigæ, seu vectores tacitâ conuentione  
res, quas vehunt, sibi obligatas habent, *Cuiac. lib. 9. obs. c. 8. argt.*  
*l. 6. ff. qui pot. & l. 5. in pr. ff. ad exhibend.* Adeoq; quoad illas res et-  
iam hypothecarijs anterioribus rectè præferuntur. Quod rece-  
ptum puto ob solam vtilitatem publicam, quæ vecturas illas exi-  
git, nihilq; inhumanius fore putauit, quàm si miseri vectores,  
quorum labor curis & periculis plenus, adeò egregiè fraudaren-  
tur. *Beuth. p. 1. Præl. c. 76.*

202. Insuper iure Saxonico, & plerorumq; locorum statutis,  
quale quoq; habetur in constitutione Marchiæ *intit. Von Erbsät-  
len in prin.* ministri domestici ratione debitæ mercedis, quam vul-  
gò Siedtlohn vocant, omnibus cæteris creditoribus præferuntur,  
in tantum, ut omnium primò illorum ratio habeatur, per *Land-  
recht libr. 1. art. 22. & ibid gl. artic. 22.*

203. Quod priuilegium nonnulli, inter quos *Beuther. p. 2. c. 30.*  
*ex l. 5. ff. Qui potior. in pign.* deducunt, eò quod suâ diligentiam mini-  
stri in rebus domini aliorum hypothecas saluas, vel etiam tutio-  
res faciant: Cæterum verior est illorum sententia, qui asserunt il-  
los iure communi nullâ præferentiâ frui. *Iung. Hartm. Pistor. libr.*  
*8. q. 8. n. 2. Ioan. Koppen. decis. 28. num. 13.* Quæ sententia quoq; in  
foro, quoad contrarium consuetudine vel statuto non fuerit re-  
ceptum, obseruatur. Ponuntur tamen post hypothecarios ante  
nuda priuilegia, inter quæ illud omnium primum est. *Iacob.*  
*Schult. in addit. ad Modest. Pistor. part. 3. q. 124. n. 39.*

204. Quod probatur & ipso iure diuino, *Leuit. 19. v. 13. Deut. 24.*  
*v. 14. Malach. 3. Tob. 4. v. 15. Sirac. c. 35. nu. 27.* Cui in tantum ex  
quorundam locorum obseruantia inhæretur, ut priuilegium illud  
extendatur ad mercenarios vulgò dictos Tagelöhner. *Vid. Coll. Ar-*  
*gent. ff. libr. 42. tit. 8. th. 32. n. 21.*

205. Sanè illud priuilegium de iure Saxonico & ciuili hoc  
com-



commune habet, quod requiratur ad hoc, vt obtineat; Primò, vt certa merces sit promissa; secundò, vt ministri tempore mortis defuncti in ædibus & seruitio illius reperiantur, ita daß sie in seinem Brodt dienen. gl. in d. artic. 22. & tertio, ne vsuras acceperint. argt. l. 24. ff. de reb. auct. Ind. possid. Beuther. p. 1. Præl. c. 29.

206. Vtrum verò pro salario vnus anni, qui domino seruerunt, vtrumne etiam pro salarijs, quæ ex præcedentibus apud dominos restant, agant, nihil; referre putamus. Vid. Hartm. Piff. d. q. 8. n. 4. vbi testatur, ita à dominis Assessoribus Facultatis Iuridicæ esse obseruatum.

207. Ex quibus patet hoc priuilegium planè iniurià à Beuthero part. 1. c. 28. 29. & 45. referri ad Aduocatos, Procuratores, tabellarios, factores, sutores, pistores, lanios, aurigas, rhedarios, pictores; vt & priuilegium illud malè refertur ad quoscunq; id genus alios, quorum opera extra domum plerumq; requiritur, quique Brodtsling siue Brodtgesinde Gilm. 4. symphor. part. 1. vot. 53. n. 11. & 19. VVehner. in obs. pract. verb. Brodtsling/ appellari nequeunt. Vid. Hartm. Pistor. d. q. 8. n. 12. Köppen d. decis. 28. n. 14.

208. Vt rectè pronuntiarint V Vittebergenses, relati à Molle- ro, Das Bottenleuffer/ Schneider/ Becker/ Brauer/ Barbierer/ Diet- kuscher/ Fleischhauer/ Kramer/ Aduocaten vnd derogleichen für Liedlo- ner nit zuachten sondern jrer Schulden halber / so viel derer annoch nicht richtig gemacht / als Chyrographarien abzufinden. Iungatur Matth. Berlich. practic. conclus. part. 1. concl. 44. n. 10. & aliquot seqq.

209. Atq; ita visis Creditoribus Priuilegiarijs Realibus, proxime despiciendum est de Personalibus. Qui nobis sunt illi Credi- tores Priuilegiarij, qui sibi præferentia iura ex sua persona suble- gali tacita hypotheca sumunt & vendicant.

210. Personam autem comitatur & commendat fauor publicus; vel quasi publicus:

211. Et fauor publicus primò Ecclesiam, quæ quia pupillis comparatur, VVesenb. parat. C. de in integ. rest. n. 3. Gail. 1. obs. c. 3. n. 16. rectè illis, quoad prælationum materiam æquiparatur, præsertim, cum contraria decisio ex textu iuris non possit monstrari. Euerhard. in in Top. loc. à minore ad Ecclesiam.

212. Quapropter & bona est collectio ex l. 12. Iuncta Auth. Cas- sa C. de

Priuilegi-  
arij personales



*§. C. de Sacros. Eccles.* aliorum videlicet Creditorum, qui pupillis succedunt, Priuilegia aduersus Ecclesiam, robore suo & firmitate vacuata, cessare: cum etiam veteres leges, ea, quæ iuris diuini sunt humanis nexibus non alligari præsumant. *l. 21. C. eod.*

213. Idem fauor est Nosocomiorum, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, & in vniuersum omnium collegiorum, actionem piam instituentium, quæ cum Ecclesijs vnitam & æquiualentem habent rationem, prout firmiter colligitur ex *l. 15. l. 23. in pr. C. de SS. Eccles.* adeoq; pari passu in subiecta materia ambulant. Ioan. Koppen. *decis. 28. n. 47.* Accedit fauor piarum causarum, qui tantus est, vt illis & in testamentis, etiam imperfectis, nihil detrahatur, modò ne imperfecta sint ratione voluntatis. *c. relatum de Testam. Boer. decis. 240 Mynsinger. s. obs. 28. Grassus. §. testamentum q. 19. per tot.*

214. Obtinet quoq; fauor ille publicus in Fisco, qui quoad tributa, collectas & alia onera publica, als da seyn Schoß / Schanung / vnd Stewr etc. omnibus etiam expressam anteriorem habentibus potior est. *l. 1. C. in quib. caus. pign. tacit. contr. l. 1. C. si propter publ. pensat. l. 46. §. 3. de iur. Fisc.*

215. Quodq; in tantum obtinet, vt fiscus & magistratus, si quid hisce solutum fuerit, vi sui priuilegij reuocare possint. *l. 18. §. 10. ff. de iur. Fisc.* Attamen sine vsuris. Etenim persona non res conuenitur. *l. 19. ff. d. tit. l. 5. C. eod.* vbi Gothofred.

216. Ratio huius priuilegij hæc redditur, quod pecunia tum pacis & belli, tum etiam quarumuis rerum gerendarum sit neruus: adeoq; æquum & necesse sit, vt quæ ad publicam causam reditura sunt, antè omnia soluantur. Quò etiam commodè refertur illud, quod Reip., cui nati sumus, non solùm fortunas nostras, sed & corpus & vitam debeamus. *l. 2. §. 1. l. 4. ff. de veteran.*

217. Quid si fiscus cum muliere concurrat? Et adhuc fisci conditionem quoad præsentem causam potiozem esse putamus, *l. 1. C. de Priuil. Fisc.* l. 3. C. de primipil. & argt. eorum quæ de muliere & fisco in causa crediti concurrentibus habentur in seqq.

218. Verissimum tamen est, bona dotalia, tum demum sarcinæ primipili obnoxia teneri, quando vniuersis viri facultatibus exhaustis nihil residui inuenitur. *l. 4. C. in quib. caus. pign. tacit.* Petrus Vand.



Vand. de Priuil. Cred. c. 4. Francisc. Balduin. d. loc. c. 7. Primipili-  
lum intelligimus legionis fuisse veluti principem, quem cum mi-  
litari annona totius legionis merita ac pramia consecutum fuisse  
scribit Vitruu. lib. 2. c. 8. de remilit. Iung. Gothofred. ad l. 7. C. de  
Cohortalibus.

219. Nec illud mirum videatur, cum & liberi, etiam si heredi-  
tati paternæ sese non immiscuerint, Fisco ratione primipili obli-  
gentur, per rescriptum satis insolens & nouum Diui Aureliani, cu-  
ius mentio fit in l. 4. C. de primipilo.

220. Contrà verò deterior est conditio fisci concurrentis cum  
hypothecario, cui debitor bona sua expressè obligauit, antè  
quàm collecta vel aliud onus publicum fuerit impositum. l. ult. §.  
ult. ff. Qui pot. in pign. Neq; enim hîc causa subest, cuius intuitu ob-  
ligatio pignoris expressa subsistere nequeat, cum tributa non-  
dum fuerint imposita. l. 9. l. 11. ff. eod. Diss. tamen Iac. But. in l. 16.  
C. de rescind. vendit. & post eum Practic. Papiens. in forma libelli in  
Act. hypothecar. §. sub eadem obligatione n. 16.

221. Sanè in contractibus & reliquis conuentionibus fiscus tan-  
tum præfertur creditoribus anteriorem tacitam habentibus,  
l. quod. quis 34. (aliàs 18. de Priuil. Credit.) de reb. auctor. indic. possid. l.  
2. C. de Iure fisci. Expressam verò anteriorem habentibus non præ-  
fertur, sed cum illis pari Iure ambulat, ita vt is, qui prior tem-  
pore, sit etiam prior iure. l. 8. ff. Qui potior. in pign.

222. Quò pertinet & illud, quod habetur in l. 2. C. de priuil.  
Fisc. mulieris & fisci causam tempore variare; Item quod si illa  
cum fisco & hypothecario, qui fisco antiquior est, concurrat,  
quamvis aliàs à fisco vincatur, quod cum hypothecario illo & fi-  
scum vincat, non quidem concurrente cum fisco, sed cum pri-  
uato eumque vincendo, qui iam tum vicerat Fiscum. Goth. ad  
d. l. 2.

223. Quod dictum, creditores habentes anteriorem fisco præ-  
ferri, accipiendum est de habentibus specialem; si generalem an-  
teriolem expressam habuerint, præferuntur quidem in illis bonis,  
quæ debitor habuit, antequam cum fisco contraxit; in re verò po-  
stea acquisita potior est fiscus. l. si qui 28. de Iur. fisci.



224. Cui opponi solet *l. ult. pr. ff. Qui potior. in pign.* Et in qua *Dd. se mirè torquent.* Videatur *Accursi. ibid. in secunda solut. & post eum Cuiac. 10. Obsc. 22. in med. & aliter Ant. Faber. 2. Coniectur. c. 10.* Placet verò *Accursius ad illud. pr. in prima solut.* quod videlicet textus agat de illo, qui præter tempus antèrius habet quoque priuilegium.

225. Extenditur illud ius Fiscì quoq; ad Cæsaris eiusque Augustæ patrimonium, *l. 6. §. 1. ff. hoc tit. & consequenter hodiernis moribus ad status Romani Imperij quosuis, quibus regia iura territorij concessa sunt, vt sunt: Duces, Marchiones, Comites, &c. & ciuitates quoq; Imperiales, si istiusmodi priuilegia illis specialiter fuerint indulta, vel longi temporis vsu quæsitæ.* *Bart. in l. 2. pr. de iur. fisc. Neguz. part. 2. membr. 4. n. 114.* Et vtuntur quoque illo priuilegio iurium Fiscalium Cessionarij. *l. ult. C. de priuileg. Fisc.*

216. Imò & hodie in Germania ferè in omnibus magistratibus & ciuitatibus increbuit, vt pro tributis & debito officialium ius tacitæ hypothecæ cum prærogatiua habeant, sicuti & illud Saxonicâ Constitutione *28. part. 1.* expressè constitutum est. Atq; ita quotidie pronunciari videmus, etiam quoad decimas, census & alias pensiones, quæ ex bonis tributarijs, vectigalibus, emphyteuticis, superficiarijs, censiticis, & similibus debentur. *l. 1. C. in quib. caus. pign. tac. l. 31. de pign. l. 15. Qui potior. in pign. Iung. Koppen d. decis. 28. n. 20. & 21. Beuther. part. 1. c. 11 post. med. vers. Ferners so erstreckt sich das etc. & c. 13. per tot.* Imò quoq; quoad sumptus, quos subditi in Executionibus criminalibus (vulgò *Hender oder Herdgeld*) ex recepta quorundam locorum consuetudine persolunt. *Heig. part. 1. q. 23. n. 15. & seq.* Vbi attestatur ita aliquando responsum fuisse.

227. Cessat verò Fiscì Priuilegium in pœnis, quibus fiscus lucrum captat, reliqui autem creditores de damno vitando sunt solliciti, adeoq; illorum causa semper est fauorabilior. *l. 33. ff. de R. I. Qua propter bonorum publicatio sic accipitur, vt æs alienum deducatur. l. 72. ff. de iur. dot. l. 11. l. 17. l. 37. ff. de iur. fisc. l. ult. C. de pœn. fiscal.*

228. Sic quoque fiscus, cum in priuati ius succedit, priuati iure pro



pro anterioribus suæ successionis temporis utitur; cæterum postquam successit, habebit privilegium suum. *l. 6. de iure fisc.*

229. *Publico favore vel quasi ius tacitæ hypothecæ & prælationis habent Mulieres in restituenda dote, idq; beneficio liberalissimi sui fautoris Iustiniani in *l. 30. C. de iur. dot. §. fuerat, 19. vers. sed & tacitam*; *Inst. de Act. l. 12. C. qui potior. in pign. l. unic. §. & ut plenius, C. de rei uxor. Act. Nov. 109. c. 1.**

230. Quodque extra omne dubium est. Utrum verò ratione dotis omnibus creditoribus indistinctè, etiam expressam anteriorem habentibus præponantur, mirum in modum controuertitur. Nos verò & illud post Iohannem & Bulgarum, & qui eos secuti sunt, Bartolù, Zasium, Corasium, Sichard. Gomez, Heigium, Hotomannum, Schneidevvinum. VVesenbec. Motz. Neguz. cum Mudæo, Vanderano, Bocero, Antonio Fabro & Dd. Comm. affirmamus.

231. Idque 1. per generalitatem text. *d. l. 12. C. Qui potior. verb. licet anterioris temporis privilegio sint muniti &c.* cui addendum, quod privilegium, quod ex tempore desumitur, propriè tunc habeat locum, quando de prima exactione sui debiti Creditores pignoratitij expressi concertant, quorum causæ extemporis mensura vnice & propriè mensurantur.

232. Concessit 2. quoq; Imp. istâ suâ sanctione mulieri in hypotheca hac eiusmodi privilegia, qualia olim in personalibus habuit. In quibus verò omnibus Creditoribus prioribus & posterioribus regulariter prælata fuit. *l. 17. §. ult. ff. de Reb. auctor. Indic. possid.* quò pertinet, quod in *l. 1. ff. soluto matrim.* dicitur, dotium causam semper & vbique esse præcipuam. Confer Cuiac. in *Comment. ad l. 12.*

233. Sanciuit præterea 3. Imp. in *Novell. 97. c. 4.* quod mulier illi solum cedat, qui in militiæ emptionem crediderit, cæteris verò omnibus præualeat. Et 4. in *l. 4. C. in quib. caus. pign.* generaliter rescriptum est, quod antequam bona dotalia sarcinam Primipili subeant, bona & nomina mariti, quæ debet, sint excutienda. Cui hoc consequens est, dotis causam bonis & nominibus illis vtiq; esse potiozem.

234. Imò



234 Imò 5. constat ex *d. N. c. 3.* & cum, qui in refectionem ædium credidit mulieri postponi, qui tamen hypothecæ expressæ anteriori præfertur. Hoc ipso ideoq; quare mulier non esset potior quæ & illius victorem vincit, Gabriel. *Mud. tit. quibus modis pignus &c.*

235 Neque verò hoc 6. obscurum esse putetur, quandoquidem mulier reiveritate dotis dominium retineat, quamvis iuris subtilitate illud in virum transiisse videatur. *d. l. 30. C. de Iur. dot.* Quare etiam datur illi, si res dotales extent, rei vindicatio, quæ cæteris conditionibus præfertur.

236. Accedit, 7 quod sexus muliebris fragilitas, salus Reipub., & aliæ causæ impulsivæ in *d. l. assiduis, & Nouell. 97. c. 3.* probè ab Imperatore perpensa, æquè contra expressas, quàm tacitas hypothecas militent.

287. Vt taceamus; 8. quod in dubio semper pro dote præsumendum sit, & quod hypothecarij creditores, quanquam hypothecam pacti sint, prælationem tamen, quæ legis beneficio conceditur, sibi in tertij & legis ipsius præiudicium acquirere non possint.

238. Friuolè verò creditores illi inculant mulierem, quod non ipsius fidem secuti sint. *d. N. 97. c. 2.* Potius, verè inquit Obrechtus, suam accusent negligentiam, quod tam diu expectarint, donec mulieris priuilegijs subiiciantur.

239. Denique 9 constat affirmatiuam hodiè in celeberrimis Dicasterijs esse receptam. Vti vid. ap. Mynsinger. *4. obs. 13.* Rauchbar. *part. 1. q. 4. n. 19.* Quamuis in Electoratu Saxonie *Constit. 28. part. 1. in pr. vers. Allen Andern* aliter constitutum sit. Et quamuis Gail. *2. obs. 25. n. 10.* adserat, se secundum negatiuam intrepidè iudicaturum esse, & ab illa sententia in Camera, quantum ipse meminerit, nunquam recessum esse. Vix tamen est vt ideo quid moueamur: Cum contrarium satis frequenter edocti simus.

244. Seruatur etiam hoc dotis priuilegium in augmento siue additamento dotis, vulgò dicto die Verbesserung *Nouell. 97. cap. 2. & 3.* Siquidem pars dotis, eiusdem est iuris, cuius ipsa dos est, *l. 8. C. de Iur. dot.* Sit autem augmentum illud non immodicum, sed  
doti



doti ad summum æquale *d. N. c. 2. sub fin.* Videatur *Cothman.*  
*vol. 1. conf. 48. passim, per tot.*

241. Extenditur deinde priuilegium ad Sponsam, quæ si dotem dederit, etiam si fortè postea nuptiis renunciatum, & ita matrimonium reuerà non subsequutum fuerit; æquum tamen est, ut illa ad priuilegium admittatur. *l. 17. ff. de Reb. auct. Iudic. poss. Fac. l. 74. ff. de Iur. dot. Neguz. tr. de pign. membr. 4. part. 2. n. 104. Vand. d. c. 5.*

242. Accedit, quod Sponsa in plerisq; Iuris Articulis pro coniuge habeatur vid. *Gothofr. ad l. 1. lit. D. ff. de sponsalibus.* Neque enim non Reip. interest, ut Sponsa quoque opinatam dotem consequatur, quo, ætate permittente, alteri eò commodiùs nubere possit. Cùm sæpius vel ferè semper dos causa matrimonij sit, iuxta illud *Venusini:*

*Et genus & formam regina pecunia donat.*

& illud *Ouidij:*

*Dos est forma puellis*

& si dos saltem numerosa sit, nullum vitium vitio facilè vertetur, si est *Comico in Persa* credendum.

243. Tertiò transit illud priuilegium à muliere ad liberos, non autem ad heredes extraneos, *d. l. a fiduis.* Indultum siquidem hoc dotis priuilegium est mulieribus, propter matrimonium, vel potius propter liberos ex eo matrimonio natos, quò eo rectius & felicius possint educari. Ut meritò hîc obtineat illud vulgare: Propter quod vnum quodq; tale est, illud magis tale est. *Iung. Non. 91. in princ. l. 29. C. de Iur. dot. Sichard. ad l. 12. C. qui potior. n. 25. Fr. Bald. c. 19.*

243. Insuper vitur mulier priuilegio illo, non solùm in bonis mariti, sed eius patris, vel aui, si qui horum à muliere nomine filij dotem acceperunt. Neque enim aliquid subest, quo minus illius eo casu ante priuilegia ratio habeatur: *Sichard. d. loc. num. 29.*

244. Quid si mulier, ut eò tutior dotis causa esset, de expressa hypotheca sibi cauerit? Sanè dotis conditio per expressam illam conuentionem non potest fieri deterior, cum, quod magis est, mulier per pacta adiecta piguora priuilegia sibi quarere possit.

F

*l. 27. §. 2.*



*l. 27. §. 2. v. qua & in specie, ff. de pact. l. 14. & 17. ff. de pactis dotal. Si-  
chard. d. loc. n. 36. Neguz. Mem. 4. p. 2. n. 82.*

245. Restringitur verò dotis priuilegium primò, si duæ dotes concurrant de cuiusmodi casu est in *d. Nou. 91. in princ. & c. 1.* Neque enim vni doti concedendum, quod alteri præiudicat. Sed recurrendum est illo casu ad ius commune, & ex tempore decisio petenda. Planè, si aliquæ res in dotem datæ, adhuc extent, mulier, siue heredes illius, illas, nullo indigentes priuilegio, vt suas rectè vendicant. *Auth. si quid C. qui potior. d. Nou. 91. c. 2.*

246. Cessat deinde illud dotis priuilegium in dote cauta, siue confessa, in qua coniuges facili negotio machinationes meditari, & comminisci poterunt: tum quia id ipsum illicitum: tum quia dicta constitutio *l. ASSIDUIS.* Priuilegium illud ad veram & numeratam dotem refert *verb. si tamè reipsa parti mariti data fuerint.* Neque verò alijs præiudicium afferre debet, si fortè coniuges quid inter se callido commento egerint. *Nou. 97. c. 2. sub fin.*

247. Et cessat quoque, si mulier in dubio, spacio biennij adhuc currente, motâ lite de dote non numeratâ, probare non possit, illam verè & realiter esse numeratam. *l. 14. in pr. C. de non numerat. pecun. Sichard. d. loc. n. 27. Neguz. memb. 4. part. 2. n. 76. Mudæus d. tr. n. 90. Petr. Vand. d. c. 4.*

248. Cessat idem, si Mulier vna cum marito communem negotiationem vel cauponariam exercuerit, *Wenn das Weib ein Marktfraw wehre vnd zum offenem gemeinem Kramladen oder Markt sässe.* Tenetur enim eiusmodi fœmina tanquam correa debendi, & iure societatis pro marito. *l. 1. §. vlt. ff. de exercita act.* Ne videlicet bonâ fide cum ipsis contrahentes decipiantur. *Gail. lib. 2. obs. 90. Beuth. de prelat. part. 1. c. 15.* vbi attestatur hanc esse communissimam & vtilissimam totius Germaniæ consuetudinem.

249. Sic cessat priuilegium illud, si mulier sciens prudensq; nupserit viro reuerâ inopi, & prodigaliter sumptuoso. *Gail. lib. 2. obs. 84.* per rationes ibidem assignatas. Sed quod non obtinet, si forsitan maritus de dilapidatione tantum populari sermone fuerit suspectus, quo casu, quando inito matrimonio, maritus non facit modum expensarum; sed pergit omnia in fenum & cinerem reducere, mulier ab illo dotem rectè repetit, quique condemna-



demnatus quoad facere potest, vlteriùs verò, propter maritalem reuerentiam, non tenetur. *l. 12. ff. solut. matrim. l. unic. §. cum autem, C. de rei ux. act. Petr. Vand. d. c. 4. Gothof. adl. 29. lit. R. de iur. dot.*

250. Perdit insuper mulier dotis priuilegium, si ei maturo consilio, puta, quia forsan fama mariti ei laudabiliter curæ fuit, renunciauerit. *l. si quis. C. de pact.* Et cessat illud priuilegium vbicunque mulier pro marito tenetur, quod & per consuetudinem & legem aliquam municipalem, licet illa satis rigorosa sit, induci potest.

251. Vt & extra dubium est, statuto posse induci, & consuetudine recipi, vt mulier priuilegio isto non fruatur. Sicuti cautum constitutione Electorali Saxonica 28. part. 1. vt mulier anteriorem expressam habentibus non præferatur. Addatur quoque *constit. 24. part. 2.* Et quod quoque in regionibus Electoratu isti vicinis receptum nouimus. Cæterum de quo iudex monendus est, secus pronuntiandum est secundum Ius commune. Vti in collegio Iuridico hîc nupere factum memini in causa liquidationis & Prioritatis vertente inter L. C. eius coniugem, & creditores Magdeburgi.

252. Quod si mulier vnâ se cum marito obligauerit, pro illo intercesserit, vel in æs alienum ab ipso contractum consenserit, modo illa firmiter facta fuerint, non minus illis, quibus se ita obligauit, tenebitur, ac ipse maritus, vt, si illi ex bonis mariti creditum suum consequi non possint, rectè illud petant à muliere, eòq; in euentum à iudice iure remittantur.

153. Nec hoc prætereundum, cessare dotis priuilegia, si fortè probetur mulieris culpâ, quod fit per luxuriam illius, aut malam rei familiaris administrationem, maritum ad inopiam peruenisse, quod ex Ioan. Asin. Baptista & Petr. Frid. Mind. probat Ioach. Scheplitz. ad *consuetud. March. part. 3. tit. 2. question. 1. num. 6. & seqq.*

154. Sunt quoque, qui volunt dotis priuilegia cessare in mercibus per mercatores distractis de quorum rationibus & fundamentis vid. Moll. ad *Constit. Elect. 28. p. 1. n. 63.* verum in ijs quoad præ-



sens negotium nil speciale subesse, apparet ex ijs, quæ de illis habet. Heig. p.2.q.15.n.11.12. & 13.

255. De donatione propter nuptias quæritur? Sed quæ, ut Græcus Scholastes apud Autorem Synopsios 9. tit. 5. habet, καὶ τὰς ὀικείας ἐξετάζεται χρόνος pro suis temporibus examinatur; quamque Imp. Iustinianus in l. unic. §. pen. C. de rei uxor. act. Disposuit suo tempori seruire, & habere inter creditores sui temporis ordinem.

256. Pro illa ideoque consequenda, mulier utitur Iure tacitæ Hypothecæ, licet ius prælationis illi non sit coniunctum. l.2.C. de bon. qualib. post Ias. Zas. & alios Mynsing. 5. obs. 6. 4. ad fin. ubi addit ita in Camera Imperiali obseruari. Dissentit tamen Gomez. loco ibid. allegato & post illum Harprecht. in d. §. 4. num. 80. Instit. Quib. mod. re contrah. obligatio.

257. Sanè ratione dotalitij, moribus Saxonis, & vicinarum regionum receptis, mulier, quoad reliquos creditores, tantum Iuris habet, quantum aliàs habet ratione dotis, & sic apud Saxones præter tacitam hypothecam etiam priuilegium prioritatis quoad tacitam anteriorem habentes. Rauchbar. quest. 30. num. 17. part. 1. Cuius rei ratio additur, quod per dotalitia dotes in totum absorbeantur, ac eorum in locum subrogentur. Constit. Elect. 42. part. 2. VVesenberg. conf. 50. n. 27. Zobel. in addit. ad gl. artic. 31. Landrecht lib. 1. in verb. Stirbet aber das Weib. &c.

258. Quodque in dote & dotalitio indistinctè obtinere putamus, nullâ factâ distinctione inter tempus constitutionis siue permissionis & numerationis dotis; licet certissimum sit dotalitium non deberi, nisi dos fuerit realiter numerata. Thomming. conf. 4. n. 73. versic. idem quod mulier. Dissent. Schuler. ad Modest. Pistor. q. 63. n. ult. ubi vide.

259. Hoc non iniuriâ quæritur, cum in literis consensus, quæ super dotalitij in aulis Principum dari solent, plerumq; id addatur, quod mulieres dotalitij post mortem demum maritorum gaudere debeant, & adijciantur hæc verba: vnd eher nicht/ &c. Vtrum & in casu inopiæ mariti bona sua creditoribus cedentis, mulieres illis in tacito pignore præferri debeant? Et quod post Roschit. tract. Vom Leibgeding/ artic. 4. n. 31. Moller. part. 1. constit. 28. n. 36.



260. *affirmo.* Neque enim casus mortis casum inopie exclu-  
dit, sed relinquitur ille dispositioni Iuris communis.

260. Quod dictum de muliere quoad dotis repetitionem, obti-  
net quoque, ex opposito in Marito, quoad ille dotem promissam  
constitutam exegerit, *d. l. unic. §. 1. C. de rei vxor. act.* Donell. *tr.*  
*de pignorib. c. 4.* Vanderan. *hic, in c. eod.* Beuth. *p. 1. prel. c. 75.*

261. Quod graui consilio ita constitutum est. Neque enim lu-  
cri captandi gratiâ maritus dotem exigit, sed vt onera matrimo-  
nij, quæ quasi in publicam Reipub. salutem impenduntur, eò fa-  
cilis perferre possit. Ac metuendum, vt mores hodierni sunt,  
profecto, si maritus promissa dote malitiosè fraudetur, ne ma-  
trimonium, piè aliàs & bene cœptum, quotidianis iurgijs & ca-  
lumnijs continuis reddatur infaustum, iuxta illud Iuuenal.

*Semper habet lites, alternaq; Iurgia lectus,  
In quo hæc nupta iacet, minimum dormitur in illo:  
Tum grauis illa viro &c.*

262. Nihil autem refert, ipsa mulier, siue alius eius nomine  
dotem promiserit, vt nec interest, vtrum in scriptis, vtrumne  
sine scriptis dos promissa fuerit. *d. l. unic. §. 1. C. de rei vxor.* Immo  
si fortassis dotalia instrumenta desuper confecta, amissa fuerint,  
nec cæterarum probationum indicia, iure prodita irrita haben-  
tur. *l. 15. C. de Iur dot.*

263. Porrò ad hanc classem Creditorum referendi sunt Pupil-  
li & Minores: Cum & illis bona suorum tutorum vel curatorum  
non solum pro malè: Sed & pro non penitus vel minus idoneè ge-  
stis tacite obligantur. *l. pro officio 20. C. de administ. tut. l. vn. §. &*  
*vt plenius, C. de rei vxor. act. l. 5. §. discretis C. de legit. tutel. l. unic. C.*  
*rem alien. gerent. tot. tit. ff. de eo qui pro tut. vel curat. l. 10. ff. in quibus*  
*caus. hypoth. tac. Mercerus tit. eo num. 7. Nonell. 118. c. 5.*

264. Quod & de bonis Protutorum atque illorum, qui amici-  
tiæ causâ negotium pupilli, fortè gesserunt. argt. *l. 19. & 23. ff. de*  
*reb. auct. Ind. poss. l. vlt. ff. de tut. & rat. distrib.* ut & de bonis Cura-  
torum ad litem tantum datis verè dicitur. Gothofred. in *l. prope-*



*randum, 12. §. fin. C. de iudicijs, Neguzant. de pignor. memb. 4. par. 2. u. 8.* Subest enim hęc una eademq; ratio, quęq; eò magis attendenda, quod minorum & pupillorum amplissimus fauor id nobis persuadeat.

265. Quā æquitate motus Vlpianus in *d. l. 19. de Reb. auct. Ind. possid.* Illud quoque extendit ad curatores debiliū & prodigiorum, quo pertinent, & muti, surdi, fatui. *l. 20. & 21. eod. Vand. hic e. 6. §. sed æquissimum.*

266. Eximuntur tamen bona magistratus. *l. 1. §. 14. ff. de magistr. conueniend.* Vt & si bonis curator datus, vel obærati, vel absentis, vel ab hostibus capti, vel dum deliberant scripti heredes de aduinda hereditate, hypotheca non obtinet, non enim in eadem causa est. *l. 22. de Reb. auct. Ind. poss.* Siquidem personæ, cui cæteri curatores saltem ex aliqua parte dantur, ibi nulla est ratio. Tum reliqui curatores & inuiti coguntur curatelam suscipere, illiusmodi verò curator non item, quæ est sententia Cassij in *l. 2. §. 3. de Curat. bon. dand.*

267. Est aliàs tacita illa hypotheca in tantum priuilegiata, ut illa muniti etiam aduersus hypothecarios expressos tuendi sint, *d. l. 19. de Auctorit. iudic. poss.* Beutherus *par. 1. pral. cap. 1. & par. 2. cap. 40.*

268. Cuius priuilegij ratio est, quod pupilli sint verum Reip. seminarium, quod semper bene dispositum ac tutum florere publice interest, *argum. §. fin. v. expedit. Inst. de his qui sunt sui vel alien.* & è contrariò, quod Reipub. maximè noceat, si quando tutores vel defidiã vel impositi oneris molestiã res pupilli perdunt, vel in alis artibus dissipant. *§. 2. Inst. de tuel. l. 30. ff. de admin. & peric. tut. Obrecht. disput. 15. th. 114.*

269. Atque obtinet illud priuilegium quoque in tutoris vel protutoris curatorisue heredibus, & cæteris successoribus vniuersalibus. *d. l. 19. de reb. auct. Indic. possid.* Non verò deuoluitur ad heredem pupilli, *d. l. 19.* Quippe vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi eã deficiente, deficit quoque beneficium. *l. 13. solut. matrim.*

270. Quare Papinianus in *l. 42. de Administr. & peric. tutor. respondit*, In rem suam iudicatum procuratorem, priuilegium pupilli

*Im*



pilli non habere, quod nec heredi pupilli detur, non enim hic  
causæ: sed personæ succurri, quæ meruit præcipuum fauo-  
rem

271. Sed notanda hîc est sanctio Theodosij & Valentiniani,  
qua induxerunt, vt, si mulier tutelâ legitima liberorum susceptâ,  
contrâ præstitum iuramentum ad secundas nuptias aspirârit, an-  
tequam fecerit ijs alium tutorem ordinari, vel quod ratione ge-  
stæ tutelæ illis debetur persoluerit, ipsius quoque vitrici bona, vi-  
delicet ne quid fraude vel incuriâ horum quid depereat, tacitè  
liberis obligarentur, quæ constitutio habetur in *l. pen. C. in quibus  
causis pignorat. action. l. 2. C. quand. mulier. offic. tut. fung. pot. Nou. 22.  
cap. 40.*

272. Quid! etiamsi illa mortuo secundo marito tutelam reas-  
sumere velit, ei hoc ipsum non proderit, sed salua manet liberis  
data cautela, *Auth. Sacramenta C. quand. mul. offic. tut. fung. pot. Myn-  
sing. Cent. 3. obs. 83.* Vbi tamen addit æquiorẽ esse sententiam, quod  
mater, si deposuerit tutelam, quia sit nuptura, nec tamen nubat,  
possit tutelam recuperare, contra ac statuit Bald. in *d. Auth. Sa-  
cramenta.* Cui adistendum putamus, si mater interea fecerit filijs  
alium tutorem dari, Vid. *Guitior. tr. de tutel. part. 1. cap. 9. nu-  
mer. 1.*

273. Insuper præter priuilegium, quod pupillis tutoris in bo-  
nis concessum, hoc illis datum est, vt, si eorum pecuniâ, per quem-  
cunq; demum id fieret, res aliqua emeretur, hæc illis continuo  
tacito pignoris iure deuinceretur, cum hac sequela, vt in dicta re  
empta omnibus quibusue Creditoribus reiectis fiant soli & potio-  
res. *l. 3. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. 7. in prin. ff. qui potior. in pi-  
gnor.*

274. Vnde & illud est, quod nec seruus pecuniâ pupilli emptus,  
soluta hoc pignoris nexu, cum libertate possit manumiti. *l. 16.  
C. de seru. pign. dat. manum.* Et quod, quamuis res illa alij pupillo  
comparetur, nihiiominus tamen priori solida realis obligatio tuta  
permaneant *d. l. 3. ff. de reb. eor. qui sub. tut.* Beutherus *part. 1. pral.  
cap. 27. Obrecht. d. disp. 15. th. 118.*

275. Deniquè referenda huc sunt statuta & consuetudines, qui-  
bus ciues certæ alicuius Reipub. in sui conciuis debitoris bonis o-  
mni-



manibus alijs peregrinis creditoribus, vtut illis alijs hospitalitatis iure esset commodandum, anteponuntur, cuiusmodi statuta & effecti mores quotidie occurrunt.

276. Atq; eò facilius recipiuntur, tum quod videantur esse de salute publica, quæ priuatorum commodis & fortunis, quasi enutritur, & incrementa sumit; quamque quibusuis medijs promouere religio & fas est; tum quod benè ordinata caritas incipiat à seipsa, argum. l. 6. C. de seruitut. & tum quod ciues onera ciuilia, contributiones, collectas sustineant, peregrini non item Mynsing. 5. obs. 22. Quod & illi his in officijs constituendis præferantur, Idem 4. obs. c. 30.

277. Cæterum, cum & peregrini lege Talionis (quod ius retorsionis, nos dicimus, quodq; in hisce locis obseruatur, vti nupere in summo horum Ducatum dicasterio pronunciatum memini pro F. contra creditores H. M. ciuis H.) de qua lege Philosophus *Polit. lib. 2. c. 1.* Iuris illius ita in sese intentati duritiem in ciues loci retorquere possint, iuxta *tot. tit. ff. Quod quisque Iuris in alium stat* & illud Alexandri Seueri: **PATERE LEGEM QUAM IPSE TVLISTI** Illudq; tritum: **QVOD TIBI NON VIS FIERI ALTERI NE FECERIS:** Vtiq; non apparet, quidnam vtilitatis per eiusmodi statutū, cum ad ciues priuatos, tum vel maxime ad statum publicum redundare possit: cum proprij statuti vigor, vel potius rigor, illis ipsis aliquando præuisa & citata possit esse perniciēs.

278. Quod potissimum metuendum florentioribus ciuitatibus, quarum robur in pecuniâ numeratâ consistit, & in extraneorum manibus versatur.

279. Sed & hoc notandum, Statuta & mores eiusmodi tantum obtinere inter creditores eiusdem generis. Vt si concurrant priuilegiarij extranei cum Hypothecarijs ciuibus, vel hi cum ciuibus chyrographarijs, extranei illi ciuibus omninò sint præferendi, quod & in florentissimis collegijs Iuridicis, vt ab amplissimo senatu Iuridico hîc ita obseruatur.

280. Atque hæc de priuilegiarijs ita dixisse sat est. Ad quorum ordinis faciliorem intelligentiam notandi sunt in sequentes **canones.**



281. Primò, quod illi, qui cum tacita hypotheca habent priuilegium exigendi, cæteros hypothecarios creditores, quibus media classis instruitur, si non anteriores, quod Mulier, Refector, &c. præstant, certè tamen posteriores in hoc passu vincant, eadem enim est vis tacitæ hypothecæ, quæ est expressæ. *l. 7. ff. in quib. caus. hypoth. l. 5. ff. qui potior. in pign.*

282. Secundò, quod, qui pluribus modis septus est, alteri, qui simplex habet priuilegium, præferatur. Duo enim vincula fortius ligant, quàm vnum. Quare Fiscus vel Pupillus depositor, rectè præfertur simplici deponenti.

283. Tertiò, quod magis priuilegiatus semper excludat minus priuilegiatum. Quippe illa priuilegiorum natura est, vt ex grauitate vel leuitate causarum ponderentur. *l. 33. ff. de reb. auct. Ind. poss.*

284. In dubio tamen concurrentes causæ eiusdem iuris & auctoritatis esse censentur: nisi inter eas legibus, statutis, moribus, aut rebus perpetuò similiter iudicatis, Doctorumq; consensu, ordo & præferentia aliqua sit inducta. *Coll. Arg. lib. 42. tit. 5. si th. 37. in fin.*

285. Quartò & vltimò, quod priuilegiati eiusdem tituli, vtpote duo reficientes, duo deponentes, duo pupilli, temporis reiectâ consideratione, inter sese pro rata concurrant. *l. 33. ff. de reb. auct. Ind. poss.* Priuilegiatus enim contra pariter priuilegiatum non vtitur priuilegio suo. Excipiuntur duæ dotes, quarum dispositio temporis discrimini relinquitur. *l. 12. §. 1. in fin. C. qui potior. in pign.*

286. Sequuntur Creditorum Pignoratitij, hoc est, illi, qui sibi de expresso aliquo pignore prouiderunt. Quorum Creditorum ea est perpetua natura, vt Cheirographarios, & personaliter tantum priuilegiatos in conflictu præcisè excludant. *l. 2. l. 3. 7. & 9. C. qui potior. in pign.* Siquidem ius pignoris rem afficit, eamq; apud quemcunq; etiam possessorem, suo onere sequitur. *l. 14. 15. C. de pignor.* Personalis autem actio, quæ multis modis debilior est, personam tantum stringit, eamque non egreditur. *l. 15. ff. de Obl. & Act.*

287. Quia verò sæpe contingit, vt eadem res pluribus obligetur;

G

tur;



eur, videndum, quinam in pignore habeantur potiores: quod ut eò evidentius fiat, attendendum tum ad Personas, quæ contractui pignoratitio interueniunt, tum ad conceptam Obligationem ex illo contractu procedentem.

288. Quoad prius, personæ contractui illi interuenientes pignus vel constituunt vel accipiunt. Constituit autem vel Magistratus, vel ipse Debitor.

289. Quod Magistratus constituit vel Prætorium est vel Iudiciale. Prætorium est quod ex primo decreto, extra iudicij strepitum, vel ob non præstitam satisfactionem, vel ob contumaciam debitoris constituitur. de quo *in tit. C. de prætor. pign.*

290. Cuius pignoris adquisitio non solum prodest ipsi adquirenti; sed & alijs omnibus Creditoribus (*quibus omnibus & non sibi soli possidere videtur l. 5. §. 2. ff. ut in possession. legator*) presentibus quidem venientibus intra biennium, absentibus verò venientibus intra quadriennium, vtrisque pro rata expensas refundentibus. *l. 10. C. de rebus Auct. Ind. poss. l. 18. ff. de damno infect.*

291. Iudiciale est, quod in causa iudicati victori constituitur, cum videlicet executor rei iudicatæ ex bonis condemnati iussu magistratus capit. *tit. C. si in caus. indicat. l. 74. de Euct.*

292. In quo pignore utique is potior est, cuius nomine prius pignus captum est ex causa Iudicati. Vnde & differt à pignore Prætorio, vbi missio proficit omnibus creditoribus, iuxta ac in præcedentibus dictum est, & ita illud pignus in rem generaliter omnium creditorum causa constituitur: Iudiciale verò constituitur in personam Vid. Cuiac. *9. obs. 37.* Sed quem non probamus, cum ait illud innui ab Vlpian. *in l. 10. ff. qui potior. in pign.*

293. Placet verò Fornerius *2. select. 7.* asserens in *l. ista* hoc dici, quod is eiusque heres, cui pignus primò constitutum, ei, qui postea auctoritate Magistratus in rem veniat, & eam pro pignore possidere incipiat, præferatur. Quod & in foro obseruatur.

294. Quod dictum, potiozem esse illum, cuius nomine pignus prius captum est, post gl. in ea *l. 10. in verb. privilegii*, restringunt Dd. ne obtineat, si creditores sunt eiusdem tituli, quasi tunc posterior priori non sit præferendus, per *l. 5. §. qui prior. 3.*  
*Vt in*



*Et in possess. legat.* Cæterùm quæ lex non loquitur in caussa pignoris iudicialis, sed ubi vnus rei seruandæ causâ in rem missus fuerit, quæ missio tendit in omnium creditorum commodum, ead. l. 10. §. 4. quo & faciunt, quæ dicta in præcedentibus de pignore prætorio.

295. In hoc Dd. nostris facilè consentimus, quod si fortè plures, pone, tres; creditores concurrant, quorum tertius primum apud Iudicem vincit, per hoc nihilominus tertium non fieri potiore secundo. Vid. text. in l. 16. ff. in potior. in pign. Francisc. Bald. tr. de pignor. c. 19.

296. Neq; obstat illud Scæuolæ, quod ex l. 14. §. 3. ff. de diuersis & temporal. præscript. SI VINCO VINCENTEM TE, TE FORTIUS VINCO: vulgò opponi solet. Etenim illa regula tunc habet propriè locum, quando par ratio & causa victoriæ subest, prout ex dicto loco Scæuolæ, alijsq; pluribus facilè colligitur.

297. Debitor, qui ipse pignus constituit, aut est non dominus, aut dominus. Si non dominus eandem rem duobus diuersis temporibus pignorauerit, prior potior est, non ille, cui fortè res prius fuerit tradita. Quippe pignus nudâ conuentione contrahitur. l. 4. ff. de pignor. nec traditionem, qua potissimum dominia transferuntur, requirit. Si verò à diuersis non dominis pignus accipimus possessor melior est, cuius in pari causa semper potior est conditio. l. 14. ff. qui potior in pign. l. 9. §. 4. de pub. in rem l. 128. ff. de Reg. Iur.

298. Qui à vero domino hypothecam habet, illi qui à non domino habet, licet sit aliàs tempore prior, antefertur. Cuius rei ratio est, quod nemo de sua re vtilius disponat, quàm ipse dominus. l. 31. §. fin. ff. de act. Empt. & vend. Colleg. Argentorat. lib. 20. tit. 4. thes. 4. n. 7.

299. Persona, quæ accipit pignus, est Creditor, qui aut Vnus est, aut Duo pluresue. Si vnus fuerit res plana est; si plures sint respiciendum an simul, an verò seorsim, & diuersis temporibus, ijs sit pignus constitutum.

300. Atq; cum duobus simul, & eodem tempore, res aliqua in pignus datur, illud fit vel in solidum, vel in æquas partes.



301. Si in solidum data fuerit, & in solidum aduersus debitorem aliosq; Creditores Seruianâ vtentur; vt videlicet effectus causæ suæ sit conformis. Quod si inter ipsos quæstio moueatur, melior est conditio possidentis. *l. 10. ff. de pign. l. 1. §. 1. & l. 2. ff. de Salu. interdicto.*

302. Posteriori verò casu alter creditorum dimidiam pignoris partem actione Seruiana inter ipsos redditâ, auocabit. *dd. ll. Iung. Cuiac. 5. obs. 24. Benth. par. 2. Pr. c. 1.*

303. Quod si de neutro modo aliquid dictum fuerit, verius est, eos, qui ita pariter concurrunt, neque in solidum, neque pro partibus æquis: sed pro ratâ sui debiti partem pignoris habere & vindicare posse, attentâ proportione Geometrica. *l. 16. ff. de pignorib. Quo etiam pertinet l. 20. §. 1. de pign. action.*

304. Quando autem res seorsim & diuersis temporibus pignori obligata est, creditores ex tempore sunt disponendi, vt qui prior est tempore potior sit iure. *l. 4. C. qui potior. in pign. Quæ regula huc ad eò quadrat, vt nec vsquam rectius adhiberi possit, & ad eò sancta est, quod nec ipse Imp. vllò modo permiserit tempora hypothecariorum permutare, aut perimere, vel minuere, vti ait in *Nov. 91. c. 1.**

305. Quare tam frequenter etiam in iure nostro repetita legitur, vt in *l. 11. ff. qui potior. in pign. Potiorẽ esse in pignore, qui prius credidit pecuniam & accepit hypothecam. in l. 10. ff. eod. Priuilegiis temporis aliquem esse potiozem in l. 2. C. eod. Praualere eum, qui prauenit tempore, & in l. 7. seq. ibid. Priores esse potiores & passim, quod in diligenti lectione animaduertere licet.*

306. Proccedit autem regula ista siue subfit hypotheca merè tacita, siue expressa; *l. 1. C. si propter publ. pensitat. vend. celebr. Siue pignus Iudiciale siue Conuentionale, l. 10. ff. qui potior. in pign. l. 3. C. eod. siue pignus in specie ita dictum, siue hypotheca. l. 2. ff. hinc Siue hypotheca Generalis siue specialis sit. l. 6. C. eod. Siue inter priorem creditorem & debitorem de pignoris venditione, cum illius posterior non meminerit, conuenerit, siue non. l. 12. §. fin. ff. d. tit. De quibus iam tum partim ex præcedentib; constat, partim etiam ex sequentibus apparebit dilucidius. Iung. Gabr. Mud. hic n. 84. & seq.*



seq. Franc. Bald. d. rr. c. 19. V Vesenb. in par. ff. hic n. 2. Gail. lib. 2. obs.  
n. 24. Donell. rr. de pignor. c. 12.

307. Prior autem hic dicitur, non qui priori loco & die credidit, sed qui primo loco hypothecam accipiendo Ius pignoris adeptus est. l. 11. §. 1. l. 12. §. 2. ff. qui potior. in pign. Cuius conditio per priorem creditorem postea pignoris Iura affectantem, nullatenus redditur deterior. l. 15. C. de pign.

308. Diei autem illa computatio fit à momento ad momentum. Ut quamuis alioquin vno die in iisdem forte locis ambo pignus acceperint, prior tamen sit vbique potior. Val. Gail. 2. Obs. 25. n. 3. Bocer. clas. 2. disput. 12. th. 84. Coll. Argent. hic th. 3.

309. Cui hoc consequens est, si quis bis cum hypotheca, primùm antè, deinde post alium crediderit, quod respectu interuenientis creditoris, in priori pecunia primus, in posteriori verò tertius erit. d. l. 12. §. 3. dummodo tamen creditor intermedius sit post priuilegia & inter hypothecarios. Beuth. part. 1. pral. c. 80.

310. Quod si de momento non constet, præfertur, qui est in possessione, ut pro quo præsumatur. argt. l. 10. ff. de pign. l. 15. C. de rei vindic. l. 24. de Noxal. action. l. 91. §. sequitur, ff. de V. O. Quod si neuter possideat, in hypotheca censentur pares, non quia Ius, sed quia probatio deficit. l. 30. de testament. tutel.

311. Planè in dijudicatione concurrentium instrumentorum, Vtrumne prius vel posterius sit, horarum discrimen aliquantulum facilius reperire licet. Vtpote, vbi iudicem interdum iuuat ordo protocolli: argt. l. si quis argentariis, 6. §. 6. de Edendo, l. 34. de Vsufr. interdum ordo naturæ, secundum quem illud instrumentum præcessisse dicitur, in quo continetur habitus, posterius vero hoc esse, in quo priuatio: interdum quoq; ipsa forma instrumentorum, quæ publica prior est priuata l. scripturas penult. C. qui pot. in pign. vid. Inf. & quæ huiusmodi indicia similia, quæ desumenda ex facti speciebus obuenientibus.

312. Hæc de Personis huic negotio interuenientibus sequitur eiusdem Pignoratitia Obligatio, quæ quoad hanc materiã cum hypothecariã promiscuè sumimur: Illa autem non semper, vniformis est. Alia enim Generalis, alia Specialis. Alia publica, alia priuata. Alia etiam pura, alia in diem, alia sub conditione. Alia deniq; vel No-



nata vel De legata. Adeoq; nec vniformis perpetuo & creditorum hypothecariorum collatio est.

313 Et quidem generalis hypotheca est totorum bonorum tam præsentium, quam futurorum, vtut etiam horum nulla nominatim mentio facta fuerit. *l. vlt. C. qua res pignor. oblig. poss. vbi vid. Gothofr. lit. A. Excipiuntur tamen illa de quibus supra in th. 26.*

314. Excipiunt quoque nonnulli obligationes, quæ consensu perficiuntur, vti etiam illas, quæ ex donationibus & testamentis existunt, quasi illic generale enunciatum futura non recipiat, per *l. 7. ff. de Aur. & Argent. legat.*

315. Cæterum qui non animaduertunt causam illarum obligationum esse multum diuersam ab obligatione nostra pignoratitia præsentem, quæ si illis adiicitur, modò indefinitè vel generaliter illud fiat, hoc semper, propriè retinet, quod regulariter etiam futura recipiat.

316. Specialis hypotheca è contrario est rei vnus aut plurium, certarum tamen, *l. 1. pr. l. 15. §. quid dicitur, de pign.*

317. Estq; hæc, cum creditor vi generalis hypothecæ, singulas bonorum creditoris species sibi obligatas habet, in ordine posterior illa priori; prior verò illa posteriori, æqualis autem si illa nec prior nec posterior tempore fuerit, *l. 2. 18. ff. & l. 6. C. qui posterior. in pign. l. 3. C. de remiss. pign. l. 3. ff. hic.*

Generalis  
hypoth.

318. Non solum autem generalis hypotheca speciali posteriori, sed & generali, si illa sit, præfertur. *l. vlt. ff. Qui pot. in pign.* Adeò, vt illa prælatio ad fortunas post cessionem adquisitas, sub moderamine tamen *§. vlt. Inst. de Act.* vsque excurrat, exclusis illis, qui post cessionem creditores esse cœperunt *l. 1. C. qui bon. ced. poss.*

319. Vti quoque comprehendit hypotheca illa res post secundas obligationes, si quæ fuerint subinsequutæ, quæ sitas, *l. 6. §. 2. C. de secund. nupt.* Quod tamen restringitur in Fisco, qui excluso priore Creditore bona debitoris post secundam obligationem, (quæ Fisci fuit) adquisita ex priuilegio sibi solum ad propriat. *l. 28. de Iur. fisc.* modò ne & alius creditor ultra temporis prioritatem aliud priuilegium habeat, cuius exemplum ratione tutelæ extat, in *l. fin. ff. hoc tit.*

320. E contrario specialem hypothecam generali non rarò præua-  
len-



lentiorem esse constat ex modo allegata, *th. 317. supra* vt & *ex l. 3. C. de seru. dat pign. manumit.* tūm ex eo, quod qui specialem habet, possit sequi quemuis possessorem, etiam principali non discusso, cū in generali aliquando prius sit excutiendus debitor principalis, antequam specialis à possessore possit auocari.

321. Puta, si posterior creditor specialis, hypothecam per ad iudicationem, vel alius extraneus possessor titulo aliquo domini possideat. Ne videlicet vigilantia illius, qui rem euincit, fauore suo priuetur. *Auth. hoc si, C. de pignorib. Gothofr. in Nouell. 112. c. 1. lit. C.* vbi illud latius deducit, & *Gail. 2. Obs. 27. & 28.* rectè addit idem obseruari in dote; etenim & illic solū generalis aliqua hypotheca subest.

322. Atque ita restringimus primò quod in præcedentibus dictum, generalem priorem esse potiore speciali posteriori. Desiderat verò secundum tradita *Gail. d. loc. n. 10.* illa excussio, ad hoc, vt legitimè peracta dicatur, Sententiam interlocutoriam; Citationem verò cæterorum ad videndū & c. minimè: quod vti *Gail. us* habet, res illa foret nimium immensi laboris, multi temporis, & magnorum sumptuum, quemadmodum & in Camera refert iudicatum, vt & idem de Parlamento Parisiensi testatur ibidem relatus *Pap. decis. 432. n. 3.* Et ita hīc pronunciarī nos attestamur.

323. Restringitur quoque quod generalis prior sit præferenda speciali posteriori, si fortè primò specialiter & seorsim quædam, posthæc vniuersa bona fuerint generaliter pignori sumpta, & creditor ille, ex ijs, quæ nominatim ei obligata sunt, possit vniuersum suum debitum redigere. Quare, quæ alius creditor postea forte ex ijsdem generaliter obligatis bonis pignori accepit, interim illi auferenda non erunt *l. 2. C. de pignor.*

324. Vbi & additur eius decisionis ratio, quod quamuis æquale in omnibus ius habeatur, Iurisdictio tamen temperanda sit. Quod temperamentum in eo positum est, quod geminatus actus sic interpretandus sit, ne prius vel posterius geminationis membrum suo effectu priuetur, eiusque vis incidatur. Ad hæc præsumitur prior creditor cū debitore ita conuenisse, vt deficiente speciali pignore, cæteræ res non nisi in subsidium obligarentur.

alio-

AB



alioquin contra ac æquum est, affectaret aliquid, quod alteri ob-  
esset, nec sibi tamen prodesset, contra *l. 2. ff. solut. matrim.*

325. Non procedit autem *d. l. 2. C. de pignorib.* in tertio quouis  
possessore, hypothecâ destituto, sed eo casu arbitrio prioris Cre-  
ditoris permittitur, distrahere ex obligatis pignoribus, quæcunq;  
sibi placuerint, suoque commo quavis ratione inseruire, quò  
eò pleniùs citiusue suum consequatur, *l. 8. de distrab. pign. Neguz.*  
*memb. 1. part. 8. n. 20.*

326. Præter hæc restringitur quoque supradicta regula, quòd  
generalis prior vincat specialem posteriorem si ea conuentio  
prioris creditoris fuerit, vt ita demum certa bona pignori habe-  
rentur, si pecunia de his, quæ accepit seruari non potuisset. Quo  
casu deficiente secundâ conuentione, secundus creditor in pi-  
gnore postea dato non tam prior, quàm solus inueniatur. *l. 2. ff.*  
*Qui potior. in pign.*

327. Doctissimus Cuiacius *11. obs. 32.* pro *generaliter* legit *specia-*  
*liter*, quasi alias nullus eius conuentionis sit sensus; cui  
etiam lectioni respondere videntur, verba insequentia, *deficien-*  
*te secunda*, Quæ arguunt primùm conuentum esse in hypothecam  
specialem; & postea in euentum esse superadditum de conuentione  
generali. Quod, cum legitur *generaliter*, nequaquam dici po-  
teit factum esse: Sed & pura obligatio, quæ prior est, generalis erit;  
& similiter generalis, quæ in euentum concepta & posterior est.  
Quo posito, meræ ineptiæ essent, quod Ictus proposuit.

328. Cæterùm primùm cum Cuiacio nec Græci consentiunt  
qui vnanimiter *generaliter* legunt. Deinde admissâ Cuiacij emen-  
datione, species *l. 2. C. de pignorib.* cum specie huius *nr. l.* liquido  
conuerteretur.

329. Certissimum tamen est nec lectionem vulgarem, *d. nr. l. 2.* iu-  
xta illa, quæ modo dicta sunt, subsistere posse. Legimus ideoq;  
cum Antonio Fabro *6. Coniecturar. 16* pro *cætera certa*, quam le-  
ctionem etiam probat Gothof. *ad hanc l. 2. lit. R.* & Faber videtur e-  
am desumpsisse ab Accursio & Bald. *ibid.* cum dicunt post glossa-  
tores antiquos hîc in quibusdam specificatis rebus pignus consti-  
tutum esse.

330. Vt hæc sit sententia Papiniani: Bonis generaliter obliga-

115



tis, si ex ijs iam prædium aliquod speciale secundo creditori in pignus datum sit, multum interesse, an prioris creditoris obligatio pura fuerit, an verò conditionem habuerit adiectam: fortè vt ita demum certa bona (in quorum numero pone dictum prædium secundo obligatum) pignori essent, si pecunia ex his, quæ generaliter accepisset, seruari non posset. Priori casu prioris purè & simpliciter contrahentis conditionem esse potiore licet ex generaliter obligatis bonis tantum redigere possit, quantum sibi sit satis. Posteriori verò non item, sed ibid. deficiente conditione appositâ *id est*, reliquis bonis sufficientibus, secundum creditorem in hypotheca sua speciali, non tam priorem, quàm solum inueniri.

331. Dicimus *deficiente conditione*, cum tamen textus habeat, *deficiente secunda conuentione*. Ad quod notandum, in textu illo proponi duas conuentiones; vnâ puram, illamq; priori, & aliam cum conditione, & quidem, posteriori loco, in versic. *quod si eo conuentione*, quæq; nobis sub manibus est. Cum iam dicit Papinianus *deficiente secunda conuentione secundum creditorem in pignore postea dato, non tam priorem, quam solum inueniri*, hoc dicit quod secunda conuentione non adimpletâ ita obtineat. Non adimpletur verò, si pecunia, vt textus habet, de his, quæ generaliter accepta, seruari poterit: quod ipsum iam facit cessare conditionem *si non, vt ita demum &c.* Rectè ideoq; dicimus *deficiente conditione*. Iungatur ipse textus.

332. Nihil obstat, quod hypotheca generalis omnia, & vniuersa bona debitoris comprehendat, adeoq; generalis hypotheca, quod vrgent nonnulli contra Fabrum, in verbis, *si pecunia de his, quæ generaliter &c.* subesse nequeat. Quandoq; si creditor ex generali hypotheca suum debitum seruare non potest, multò minus illud ex hypotheca speciali possit, vtpote quæ generali includitur.

333. Constat autem in specie *huius nr. l.*, vti illa in præcedentibus modò explicata est, specialem hypothecam generali ex lege conuentionis non ita simpliciter, & purè: sed solum sub certa conditione inesse. Quæ ideoq; conditio si non extiterit, nec hypotheca illa specialis peti poterit, sed res ita obligata cedit creditori posteriori: iuxta ordinem dictæ mutæ conuentionis præstitutum.



334. Et hæc de diuisione hypothecæ in Generalē & Specialē. Sequitur Priuata & Publica hypotheca, quæ ita dicitur, quoad priuatum contrahentes in illam conuenerint; vel eandem publicam fecerint.

*Publica.* 335. Faciunt autem illam publicam, cum vel curant instrumentum aliquod publicum, continens nomen Imperatoris, annum, diem, Iurisdictionem &c. desuper confici: vel illud quod confectum actis insinuari: vel apud acta in iudicio publicè conscribi: vel etiam instrumentum alias priuatum trium testium subscriptione communiri, de quo in *l. ii. C. qui potior. in pign.* Sichard. ibid. n. 19.

336. Cuiusmodi hypothecam qui habuerit, utiq; priuatis hypothecarijs omnibus indistinctè præferetur, cum & probationum, quæ ita fiunt, maxima sit autoritas, imò tanta, ut & teneant ipsius principis conscientiam, quam, religio esset dicere, malis artibus posse adulterari, Gail. 2. obs. 25. n. 9.

337. Ne hoc prætereamus, quod per publicas istiusmodi hypothecas fraudibus creditorum, bona sua pro libitu obærantium, nec ipsum stellionatum metuentium facilimè obuietur. Quare verè & rectè Gail. *d. loc.* laudat statutum Urbis Viennæ, quo requiritur, ut ius hypothecæ in ipso publico iudicio solùm acquiratur. Et nos id ipsum quoque hoc nostro tempore in Electoratu Saxonix & vicinis regionibus, ac Rebus pub. maximè laudabiliter constitutum dicimus, quod ius hypothecæ, nisi illud publicè fiat, nemo sibi comparare possit.

338. Quod attinet ad illam considerationem, quâ hypothecam aliam dicimus constitutam esse purè; aliam in diem; aliam sub conditione; illarum, quæ purè, quæq; in diem concipiuntur, ut &, quæ habent annexam conditionem casualem, eadem, natura est; ita ut ille, qui in diem de pignore conuenit, posteriori, qui ante diem eandem rem sibi oppignorari curauit, præferendus sit, existentiâ huiusmodi conditionis ad tempus conuentionis retracta, ut ita prior sit causa prioris, quàm secundi ante conditionis euentum purè contrahentis, *l. 9. prin. & §. 1. ff. Qui potior.*

339. Quod, si conditio potestatiua adiecta sit, spectandum est tempus conditionis finitæ, siue illa adimplenda sit à debitore, siue à creditore. *l. ii. §. 2. ff. d. tit.* Ut, qui, antè quam conditio illa existiterit, licet posterior purè credidit, semper in pignore prior & potior



tior statuatur *d. l. 11.* Etenim, sicuti ante numerationem Creditori licet pœnitere, & pecuniam destinatam mutuò non numerare; ita quoque vicissim licet debitori rem pignori destinatam ante numerationem distrahere, vel alibi oppignorare. *l. 4. ff. Quares pign. obl. poss. l. ung. tit. si pign. conuent. pecun. secur. non sit.*

340. Cæterùm quod secus est, si prior Creditor præcisè tenetur numerare pecuniam. Etenim tunc pignoris obligatio incipit non ex tempore numerationis, sed initi contractus. *l. 1. ff. hic vbi Gothofr. & Colleg. Argentorat. adeoq; nec ratione numerationis illius potestiva verè dici potest.*

341. Progredimur ad illam obligationum considerationem quâ alia dicitur, Nouata: alia Delegata, quarum vti patebit non eadem semper ratio est.

342. Et fit nouatio vel simpliciter; vel ita, vt priori pignori quædam superaddantur: Illo casu, si videlicet de nouis pignoribus nil actum fuerit, antiquum prorsus liberatur. Quodque extra dubium est, *l. 18. de Nouat.*

343. Posteriori vero casu, quamuis secundò cuidam creditori primum prioris pignoris obligatum fuerit, attamen priori contra secundum temporis superioris ordo manet. *l. 3. l. 12. §. 2. & l. fin. ff. Qui potior.*

344. Cuius decisionis ratio haud in obscuro est. Etenim si nouando fieri potest, vt ius liberati pigneris tertio cuidam acquiratur, quid prohiberet sibi ipsi ita pignus comparare, vt, quemadmodum Vlpianus habet, quis ipse in locum sui ipsius succedat?

345. Immò cum ita nouans, pignori, quod iam habet, aliud addit; id egisse videtur, vt non tantùm pignus primum sibi maneret: sed vt, cum causa ac temporis prorogatiua etiam vtile esset. Gothofr. *ad d. l. 3. lit. V.*

346. Adde ex Cuiacio, *11. Obs. c. 32.* Vbi & in ista *l. 3.* Græcorum errorem notat, superiorem quidem obligationem in specie ista mutari; at temporis ordinem non immutari. Atq; ita in Camera Imperiali iudicatum refert Geil. *2. Obs. c. 30. n. 10.*

347. Delegatam pignoratitiam obligationem dicimus, quâ ius prioris siue potioris creditoris dimissi tertio cuidam defertur, qui in illius locum succedens, contra cæteros se iure prioris munit,



nit, actuetur. Quo pertinet illud *l. Aristo. 3. qua res pign. oblig.*  
Quod scapè, quæ quis ex sua persona non habet, alterius nomine  
petere possit.

348. Fit autem ea delegatio vel conuentione præsumptâ, vel  
expressâ. Cuius vtriusque in præsentiarum tres notantur species.

349. Quarum præsumptæ delegationis prima est: Si tertius cre-  
ditor hypothecarius priori debitum soluerit, aut, si hic forte eius  
debiti solutionem repudiaret, illud oblatum ob signauerit & depo-  
suerit, nec in suos usus conuerterit. Quo facto continuò in ius  
vniuersum prioris, tam quoad solutas vsuras, quam quoad for-  
tem ipsam succedit, siue id debitor vel medius Creditor velint siue  
nolint. *l. 1. C. qui pot. in pign. §. l. 12. §. 6. ff. eod.*

350. Quodque adeò procedit, vt si prior creditor recuset pe-  
cuniam oblatam, illi actio prorsus adimatur. Quippe per quem  
ipsum stet, quo minus sibi fuerit solutum *l. 1. §. ult. l. 3. C. de luit.*  
*pign. Beuther. part. 1. Præl. c. 50.* Vbi idem statuit si priuilegiato  
potiori ab hypothecario debita quantitas offeratur.

351. Quod si tamen tertius creditor sit nudus Chyrographarius,  
hypothecam non adipiscitur, nisi expressè hoc fuerit pactus. *d. l.*  
*3. Qua res pignor.*

352. Sanè si iustus possessor hypothecario agenti debitum, quod  
petit, offerat: id offerendo impetrare potest, vt ius agentis in se  
transferatur. *l. mulier 19. ff. Qui potior. Franc. Balduin. de pignor. c. 19.*

354. Secunda præsumptæ delegationis species est, si tertius cre-  
ditor pignora sua distrahi permittat, ad hoc, vt priori pecuniâ so-  
lutâ in illius pignus succedat, quo casu testatur Martianus, Pa-  
pinianum *lib. 11. Responsorum* scripsisse, eum successurum esse, Me-  
dioque fore potiozem: & ipse Martianus respondit, omnino  
secundum creditorem nihil aliud Iuris habere, nisi vt soluat prio-  
ri, & loco ei succedat, *l. 12. §. 9. ff. d. tit.*

354. Tertia species, si quis à debitore pignus eâ ratione eme-  
rit, vt ex dato pretio prior creditor dimittatur. Etenim & tunc,  
licet de pignore nihil nominatim conuenerit, illius ius ad empto-  
rem tranit. *ead. l. 12. §. 7. §. d. l. 3. Qua res pign. oblig.* vbi Iôan  
Mercer, *n. 5. l. 3. C. de his qui in potior. cred.* Licet diff. Gabr. Mud.  
*de pignorib. §. quib. mod. hypothec. solu. n. 73.*



355. Expressæ delegationis prima species est, si quis extraneus debitori crediderit, ut mutuo datâ pecuniâ priorem hypothecarium dimittat, simulq; de pignore sibi deferendo expressim conuenit. *l. 1. C. de his qui in prior. d. l. 12. §. 8. ff. hic.*

356. Secunda, si quis debitoris nomine creditori priori soluerit, & ius pignoris, quod prior habuit, sibi nominatim cedi & in se transferri curarit. *l. 3. C. de priuil. Fisc. l. 2. C. de Iur. Reipub.*

357. Tertia; si curâ Creditore pignus rursus obligatum fuerit, quod toties fieri potest, quoties usus postulat. *l. 3. §. 2. & tot. tit. C. si pign. pign. dar.* Hic cum creditore principali eodem Iure utitur: imò, & utili actione debitorem principalem compellere potest, ut tantum quantum suo creditori debet, sibi exsoluat. *l. 4. C. quæ res pign. oblig.*

358. At resolutio Iure dantis, resoluitur quoq; ius accipientis, *l. 1. d. tit. C. si pign. pign. Mud. tit. quæ res pign. oblig. n. 17. & 18. Beuth. part. 1. præl. c. 69.*

359. Commode hic quæritur; utrumne hisce casibus necessarium sit, & de ordine conuenire? Quod nos, dicent alij quid velint, cum ubi pignus est antiquius, ibi eius quoque formalis & appropriata præminentia sit, præcise negamus.

360. Ad hæc Creditoris quidem est, de pignore pacisci, ordinem verò sola lex constituit. Nec debitor cui uolet Creditori præferentia aliqua potest gratificari, *l. scripturas, C. qui pot.*

361. Inuatur quoque hæc sententia *d. l. 3. Quæ res pign.* ubi expressè habetur conuentionem de pignore sufficere, nec ultra quidpiam ibidem desideratur.

362. Nihil, quod moueat, habetur in *l. 1. C. de his qui in prior. & d. l. 12. §. 18.* Cum quis sub hoc pacto credat, ut in locum eius succedat, vel locum eius subeat. Neque enim uerba illa tam ordinis, quam Iuris demonstrandi causa, in quod succedit extraneus adiecta arbitramur.

363. Hisce iam præmissis & hoc notandum: scriptores Saxonicos annumerare creditoribus hypothecarijs Arrestantes; eosque posterioribus illis communiter præferre. idq; per constit. Nouell. Electoral. Aug. 28. p. 1. §. ferners vers. Denen wir auch hiemit re. Coler. de processib. execut. part. 1. c. 2. n. 162.



364. Cæterum, cum ius illud reale, quod Arrestatio introducit, citra immisionem constituatur, pignoris Prætorij virem supplere non potest. Adeoq; præiudicata illa opinio ipsi constitutioni, ex qua desumpta est, aduersari videtur. Vid. Rauchbar. *part. 1. q. 4. per tot.* & quæ pro forma arresti illius Saxonici requirantur consultat. *Saxonic. part. 3. q. 7. n. 68. & seqq.*

365. Denique, vt classem hypothecariorum creditorum finiamus, notandum; quod cum prior creditor solutione, compensatione, aliove quocunq; modo dimittitur, pignus liberatum cedat secundo, & sic per gradus consequenter tertio, quarto &c. *l. 4. ff. Qui potior. in pign.*

366. Proinde & si creditor pignus distraxerit, debito à summa pretij detracto, pignoris hyperocha acquiritur secundò posteriori, *d. l. 12. §. 5. l. 20. ff. eod. & l. 15. §. 2. de pignorib.* vbi eius rei casus exhibentur.

367. Atq; ita sequuntur nunc Creditores Cheirographarij, qui tertiam & vltimam classem creditorum nobis exhibent. Sunt autem illi, qui, cum hypothecâ destituuntur, personam sibi solum habent obligatam, obligatione vt plurimum in Cheirographum redactâ. *l. unic. C. obs. Chyrograph. pec.* Cuius obligationis respectu quoque Personales Creditores dicuntur.

369. Vtrum verò Cheirographus adsit vel absit, nihil refert; constet modo de debito. Neque enim scripturæ ad formam obligationum aliquid præstant, sed solum ob faciliorem probationem contractibus plerumque addi solent. *l. 4. de pignor. l. 59. de Legat. 3. & l. 4. de fide instrum.*

369. Atqui hi creditores iterum non eiusdem generis sunt: Alij enim, præter iura personalia, & priuilegium aliquod nudum tamen, ac sine hypotheca, sibi vendicant. Vnde & dicuntur personaliter tantum priuilegiati, ad differentiam priuilegiariorum personalium legalem hypothecam simul habentium, de quibus, *supra in thesi 209. & aliquot seqq.* Alij verò soli & mero iuri personali inhærent, vocanturque Cheirographarij in specie.

370. Inter quos illi priores hisce postremis sunt potiores. No-  
bis



bis autem in foro ciuili versantibus omnium sunt primi Ministri  
domestici, de quibus supra *ib. 202. 203. & seqq.*

371. Habet deinde huiusmodi priuilegium Respub. Creditrix *l. pen.  
§ 1. ff. de reb. auctor. iud.* Quod quamuis nonnulli solum de Repub.  
Romana, vel non recognoscente superiorem accipiunt, Vid. post  
Bart. *ad illaml. Neguzant. de pign. membr. 4. part. 2. num. 114.* Cu-  
iac. *2. obs. cap. 24.* Probabilius tamen est, vt ad quasuis Respubli-  
cas, etiam superiorem recognoscentes, referatur. Petr. Van-  
deran. *de priuil. Cred. c. 10.* V Vesenbec. *in pand. ff. de Priuil. Cred.  
n. 5.* Ratione enim tributorum Fisco exæquatur. *l. 1. C. in quib. cau-  
sis pign. tac. de quo.*

372. Præterea referimus huc illos Creditores, qui ratione der  
Pächte experiuntur, vt clarius dicam, die die hinderstellige Pächte ein-  
fordern: Vt & illos, die zu Widerstattung aufgeliehenen Saatkorns an-  
forderung thun.

373. Et quamuis nonnulli, & inter illos Saxonici Dd., illis  
magis lautum ius concedere soleant: fortè argumento *l. 7. in  
quib. caus. tac. pign. & l. 5. Qui potior.* Facile tamen ex primo illo-  
rum textuum aspectu apparet, textus illos satis ineptè huc trahi.  
Quare & secundum hanc nostram opinionem in collegio Iuridi-  
co hîc verè pronunciat.

374. Pertinent insuper huc casus thesicos 146, 147, 148. & simi-  
les alij, hætenus passim effigurati, quibus si expressa pignoris  
conuentio accedat, recedunt ad classem creditorum ex priuile-  
gio & hypotheca priorum.

375. Referuntur quoque ad hanc classem Mandatarij, proin-  
deq; & Fideiussores, qui & ipsi quoque cum principali habent  
mandati iudicium, vt & Creditores, qui gratis mutuò dede-  
runt. Quod mandatarij non suum, sed principalis commodum  
quærant, idque non sine aliqua cæterorum creditorum utili-  
tate, & quod magis est gratuitò. *l. 1. ff. & §. vlt. Insit. Man-  
dat.*

376. Sic & Fideiussores spontaneâ iuuandi voluntate omnes  
suas facultates, & fidem quoque ipsam pro principali suo obijci-  
unt, & quidem non sine præsentissimo aliquo periculo, vt sæ-  
pius



pius sero nimis sapiant, quod prouerbio iactamus; *Sponde, nexa praesto est*, Quod cum satis rigorosum sit, proportionis aequalitas suadere videtur, vt vicissim aliquo beneficio subleuentur, ne, vt Dd. loquuntur, pro beneficio accipiant maleficium.

377. Quod satis appositè videtur expressisse Beuther. *part. 1. prel. c. 45.* cum dicit: Fideiussoris debitoris fortunas ab imminente ruina vindicare, ipsiusque fidem aliorumque eius creditorum causas saluas facere. Proinde creditores non grauati ferre debere, si fideiussores hic suo priuilegio vtantur. Potissimum cum fideiussione illis nihil decreuerit, sed potius accreuerit. argt. *l. 6. ff. hic.*

378. Quoad creditorem verò, qui gratis mutuò dedit, benignè dicitur, eum, qui imminentis damni iniuriam tantum propulsat, huic, qui simul pro lucro captando certat, esse preferendum. Gothofred. *ad l. 24. de Reb. Autorit. Iudic. possid. lit. M.* per Ripens. *ibid. n. 8. & 9.*

379. De Aduocatis & Scholaribus quaeritur? Sed quæ quaestio quoad Scholares facillimè deciditur, cum quicquid studiorum nomine impenditur, Reipub. & Ecclesiae nomine expensum videatur. Vt putemus idem Iuris illos in concursu habere, quod *supra* Nosocomijs, Xenodochijs &c. tributum, modo, quod petunt, exigant ratione debitorum studijs impedendorum. Vnde & scholares ratione debitorum istorum, vt & Docentes, in exactione salariorum suorum, à Dd. nostris dotis causae annumerantur gl. Br. & Ias. in *l. 1. n. 31. solut. matr. Bolognett. ad Authent. Habitu C. Ne fil. pro patr. num. 29.* Quos sequuntur Saxon. in *consultation. suis part. 3. q. 7. n. 43.*

380. Aduocatos quod attinet, dirimunt illi iuxta ac rescripserunt Leo & Anthemius in *l. 14. C. de Aduocat. diuersor. Iudicior.* ambigua fata causarum, suaeque defensionis viribus in rebus saepe publicis atque priuatis lapsa erigunt, fatigata restaurant &c. Imò gloriose vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, ac postereros defendunt.

381. Prout igitur illorum opera potior fuit in causa reparanda, ita etiam in reparata relatiua solarij exactio prior erit & potior, quâ ratione etiam in re, sua industriâ & prudentiâ seruata vel enicta,



euita, ius hypothecæ sibi constituisse videntur. argt. l. 5. & 6. ff.

*Qui potior.*

382. Quod si ex horum ita nudè priuilegiatorum numero quidam concurrant, & inter sese concertent, non temporis varietas sed causæ pondus litem dirimit & determinat. l. priuilegia 32. d. tit.

383. Per causam ICTus intelligit titulum debiti siue crediti, quare & addit, & si eiusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diuersitates temporis in illis fuerint.

384. Quod Baldus in *Auth. & qui iurat. C. de bonis. Author. Indic. possid. n. 8.* exaudit de titulis illis, cum dicimus deberi aliquid vel ex contractu, vel ex contractu vel quasi: vel ex delicto, vel ex delicto vel quasi, vel ex varijs causarum figuris. Quæ quidem causæ obligationum veræ sunt, l. 1. de obligat. & Action. Verum paululum generaliores, quàm quòd hùc, vbi ad ipsa indiuidua progrediendum, trahi possint.

385. Bartolus in *d. l. priuilegia num. 1.* dicit causas priuilegiatas, quarum ICTus ibid. meminit esse illas, quæ continentur, in *l. quesitum 17. & seqq. vsque ad l. ait præter 25. de reb. auctor. Ind. possid.* sunt aliàs, l. 2. & l. 10. de Priuil. creditor.

386. At constat ibid. ICTos agere non de priuilegijs creditorum nudis, sed quæ adiunctam habent hypothecam. Potius ideoq; est, vt subsistamus in causis à nobis recensitis. Inter quas iam liquet omnium primam esse Ministrorum domesticorum, ratione mercedis illis ex ministerio debitæ, iuxta ac supra dictum est. Proxima est reip. creditricis. Post hanc causa Aduocatorum est potior. Hos sequuntur illi, qui ratione der Pächte & aufgesiehenen SaatKorns experiuntur. Quos excipiunt illi, ex quorum pecunia, ad hoc mutuò data, vt illâ emeretur, res aliqua emptæ fuerit. Hos rursus creditores qui mutuò gratis dederint: illosq; vltimo mandatarij & fideiussores insequuntur.

387. Vnde & cæteræ causæ facilè dijudicari possunt. Chyrographarios autem creditor, cuius pecuniâ illiusmodi priuilegiarius dimissus est, ponendus est in eo loco, illoque ordine, vbi priuilegiarius ipse ante collocandus fuisset. l. 24. §. fin. th. de reb. auct. ind.



388. Super sunt Cheirographarij in specie sic dicti, qui, si illis aliquid residui manserit, quod videmus in concursu creditorum raro contingere, reliquias illas æqualiter, pro rata sui debiti proportionē, sine vlla prærogatiua causæ vel temporis inter se diuidunt. *l. 6. C. de bon. auct. Ind. possid. l. 5. §. 17. de tribut. Act.*

389 Cuius rei ratio est, quod cum eiusmodi creditores nihil iuris in re sortiantur, neque etiam vllā præminentiam fruuntur, quod liceat debitori illorum causam per cumulum aliorum Creditorum facere deteriore. *l. 1. §. 2. de separat. Hartm: Hartm. pract. obs. libr. 2. tit. 27. obs. 13. n. 3.*

390. Illi tamen, qui suis rebus providentes, sedulā ac iustā exactione solutionem sui debiti impetrarunt, reliquis, qui eandem adhuc quauis ratione prætolantur, iure sunt potiores. *l. 6. §. 7. & l. 24. in fin. ff. Qua in fraud. creditor. l. 6. ex quib. caus. maior. man. l. 21. de peccal. l. si non expedierit, 6. §. 1. de Reb. auct. Ind. possid. Gail. 2. Obs. 25. n. 14. & 15.*

391. Atque cum in pari causa potior sit conditio occupantis, *l. 128. de Reg. Iur.* Iniquum foret solutionem creditoris industriā factam ab alijs reuocari: ferant hi magis expensum ob negligentiam suam, & sibi imputent, quod non didicerint melius rebus suis præesse. *l. 24. l. 22. §. 4. C. de Iur. deliber.*

392. Recipit tamen hoc posterius limitationem in actione tributaria. Quandoque ibi creditor magis merci, quam ipsi personæ credidisse putetur. *l. 5. §. 15. de Tribut. Act.* Quare etiam, si quis in tributo integram summam sibi exsolui desideret, eam non impetrabit, nisi præsterit cautionem; se, si forte alij creditores postea emerferint, pro rata refusurum. *d. l. 5. §. fin.*

393. Denique & hoc addendum, quod Cessionarius gaudeat & utatur iure cedentis, quodq; ita illius locum subeat, & in illum succedat, cuiuscunque etiam generis creditoris sit vel fuerit.

394. Quæquæ de ordine Creditorum ita dicta esse, sufficiat. Ex quibus iam etiam liquet de personis, quanam in concursum veniant, videlicet omnes creditores, cuiuscunque generis, conditionis & sexus illi sint, modo debitorum, quæ petunt, capaces sint: neque illorum debita vel fisco vel alijs cesserint.

395 Vtrum & Iudæi? Omnino, modo saluus conductus ab eo, qui



qui ius territorij habet, illis fuerit concessus, & in secularibus iure communi ciuili, vel cuiusque loci statuario vtantur.

396. Liquet quoque ex illis, quæ initio huius disputationis dicta sunt, quam res in concursum veniant & rectè deducantur: constat itidem de ordine; Vt nunc proximum esset progredi ad modum concursus expediendi, (nos *supra* in *th. 8.* unico vocabulo diximus processum, qui circa discussionem ordinis illius obseruari solet) vbi & simul de eiusdem fine, effectu, & modis illius coherentibus, vt & de aliquot causis incidentibus, vt sunt Cessio bonorum, Curatela bonorum, causa vsurarum, monetae & similes alia; tum de contrarijs illi concursui, puta in elisiuis, tractandum fuisset.

397. Cæterum, de quibus, ne hæc dissertatio in immensum excrescat, specialem disquisitionem, quam etiam illa præ mole sua desiderant, primâ occasione, volente Deo, instituemus.



Præstantiss. Dn. Respondenti amico ac fratri suo inter  
bonos optimo

**S**unt, qui, flagrantés clypeo & fulgentibus armis,  
Exoptant Martis prælia dira sequi.  
Est alyis volupe, Oceanum sulcare carinâ,  
Et dare nubiferis carbasa plena Notis.  
Illos ad latos victoria parta triumphos  
Ducit; & his rerum copia fundit opes.  
Ast tu, Henninge, tibi, sectatus castratogata  
Militia, quaris diuitias animi:  
Dum sub vexillo celebris, iurisq; periti  
Stuckij, sublimem scandere vis cathedram,  
Ac ex principijs certis deducere legum,  
Quisnam in pignoribus sit prior & potior.  
Hinc celebranda tibi tribuet victoria palmam,  
Et quondam laudum clara brabeia feres  
Applaudes.

BURCHARDVS Borawalde/Hannou.LL Stud.  
12 SON-





# SONNETT A LVY MESME

par

VLRIC: ERNESTE.

**C** Rediteurs par finesse, allez vous loing d'icy,  
Voulants masser richesse, n'a rien pour vous icy,  
Henning veut donner aide, a ceuxla Seulement,  
Qui praserents sa plaide, aux Iuges Instement.

## Sonnetto Espanol.

**I** Vntò se hallan costumbres y las leyes;  
Muy bien se iuantan Sabios y los Reyes.  
Donde siend' Henning acuerd'y leterado,  
No dudo que los Reyes lo quieren de su lado.

## Voto Italiano

<b>B</b> Ello cauall' a buon saldato.	<b>C</b> A sta mogli a buon marito.
Buono Medic' ad ammalato.	Mai vorrei star io smarito.
Alle parte Procuratori	A mi Henningo il Capello
Sagi, esperti & buon Dottori.	Di Dottore, & il mantello.
Cento Scudi mille volte	Bella moglie, & fanciulli,
A buon compagno senza volte.	Lunga vita, molti trastulli.

# FINIS.




SONNETT A LVY MESME  
VLRIC: ERNESTE.













Heleu stedt, Diss., 1616-19

ULB Halle 3  
004 592 670




ms A+13+23

V077











O IVRIDICA 1618, 5  
 De  
 EREN- 22  
 CREDITO-  
 V M,  
 QVO DEBITA SVA  
 rum consequantur,  
 AM,  
 NVMINIS GRATIA,  
 RAESIDIO  
 consultissimi Viri  
 IS STVCKII,  
 ia Pandectarum Profes-  
 ceptoris sui plurimum  
 randi,  
 loco & horis consuetis,  
 suræ submittit  
 Ludeken Hildesheim.  
 AESTADI  
 n. heredum Iacobi LucI,  
 b b cXIIIX.

